BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
20 C
H 10

G G
I
17
14-10.B.18

DE CONSOLATIONE
EDITA
SVB NOMINE CICERONIS,
ANTONII RICCOBONI
DEFENSOR,
Seu pro primo eius Iudicio,
ADVERSVS SECVNDAM
CAROLI SIGONII
ACCVSATIONEM,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad Clariſsimum Virum
LAVRENTIVM MASSAM,
SERENISS. REIP. VENETAE
A' SECRETIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS, Apud Georgium Angelerium.
M. D. LXXXIV.

DIALOGI
PRAEFATIO
AD CLARISS. VIRVM
LAVRENTIVM
MASSAM,
SERENISSIMI
VENETI SENATVS
A' SECRETIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVm omnia, quæ à Deo opt. max. creata ſunt, Laurenti Maſſa, uir Clariſſime, ſuam perfectionem appetant; cunctaq. animalia, in eo potiſſimum excellere, quod ſibi maxime conuenit, concupiſcant; atq. hoc animal, plenum rationis, & conſilij, qui uocatur homo, ad rerum ueritatē indagandam, ac intelligendam à natura, immo potius ab ipſo naturæ parente Deo conformatum eſſe uideatur: mirantur non nulli, & merito mirantur, quæ nam ſit cauſſa, quamobrem id bonum, quod in ueritatis cognitione poſitū eſt, quodq. ſolum perficere naturam hominis

poteſt, paucisſimi conſequantur. Omnem tamen admirationem deponant, neceſſe eſt, ſi animaduerterint, idem hominib. contingere, quod brutis euenit animalib. quæ cum quodam naturæ impetu in ſuas actiones ferantur, & potius, ut ita dicam, agi, quàm agere uideantur, ea tamen, quæ ipſa præſcribit natura, non ſemper præſtant. idq. fit, non modo, cum ui ac neceſſitate quadam detinetur, quominus id ipſum, quod ſibi propriũ eſt, efficiant, uerum etiam, cũ aliter aſſuefacta ſponte agunt. Leo enim non ſolum in cauea incluſus, & catenis conſtrictus, ſed etiam hominis induſtria manſuefactus naturalem feritatem minime exercet. quod dici quoque de ceteris animalib. fere omnib. poteſt. Quid? quòd res etiam inanimatæ multis tenentur impedimentis, ut eò, quò naturaliter tendunt, non ferantur? Ignis enim non ſemper loca tenet ſuperiora: lapis quandoque ſurſum detinetur alia ſimiliter non numquam impediuntur. Quòd ſi ea, quæ ſimplicis ſunt naturæ uel abſolute, ut ſimplicia corpora, uel cũ homine comparata, ut plantæ, & animalia rationis expertia, quæ quò ſimpliciora ſunt, eò paucioribus egent, & ob id etiam impediri paucioribus poſſunt, multis ſunt impedimentis ſubiecta: cui mirum uideri debet, hominem, animal tam multiplex, & uarium, qui non impulſu naturæ ducitur, ſed in ſuis actib. dominatur,

uolunta-

uoluntatem habens principium actionum ſua rum,quiq.plurimis auxiliis eget,& iccirco difficultatib. prope innumerabilib. urgetur, tam raro finem ſuum adipiſci,& ueritatis perfici cognitione? Ac uaria quidem ſunt pro hominũ uarietate impedimenta: ego uero fateor, cum in aliis,tum in Conſolatione edita ſub nomine Ciceronis diiudicanda me ualde fuiſſe impeditur,quominus omnia initio uidere potuerim. Quod me ſatis purgare apud Carolum Sigonium d bebat, ſi eius graui iudicio minus latiſfeciſſem. Conſtat enim omnib.& ipſe perſpectum,ac cognitum habet,quàm graue,quàmq. arduum ſit, in publico aliquo, eodemq. clariſſimo gymnaſio docere. quod munus cum ſuperiori proximo anno, menſe Aprili, in hac celeberrima Patauina Academia obirem, atq. in curriculo uerſarer publicarum explicationum, mandauit mihi is, qui apud me poteſt, quæcumq. poſſum,omnia,ſemperq. donec uiuam, pro ſingularib. ſuis, atq. immortalib. in me meritis,poterit, Hieronymus Mercurialis,Medicus clariſſimus, & Comes perilluſtris, ut, quid de illo Conſolationis libro ſentirem,breuiter ſcriberem. Quamobrem raptim, & properans, prout publicum negotium meum poſtulabat, ſententiam meam, ut potui, litteris conſignaui. Quam cum ipſe Carolus Sigonius, longe minus occupatus, quippe qui ua-

cationum ſcribebat tempore, & rem per otiũ, quod ipſe ait,ut ſedatiore,ſic intentiore mente, ac cogitatione luſtrauerat, duab. ornatisſimis orationib. tamquàm abſurdisſimam reprehen diſſet,purgaui me, quòd feſtinans ſcripſiſſem, ac propter præpoperam quandam feſtinationẽ meam omnia complecti nequiuiſſem. cumq; ad ea, quæ is mihi obiecerat,pro uirib. reſpondiſſem, & prioris iudicii mei argumenta alicuius eſſe ponderis, & momenti oſtendiſſem, tamen in fine tertiæ diſceptationis meæ, ut ea ſeponerentur,concesſi,& ad ea,quæ curſim per ſecutus fueram, eum argumentorum cumulũ adiunxi,qui omnem eximere poſſe dubitationem mihi uideretur. Sigonius autem,nouis relictis argumentis,adhuc in ueterum perſtat refutatione. ad quem tametſi ſatis eſſet reſpon dere,me,ut hæc relinquerentur,iam dediſſe,to tamq. uictoriæ ſpem in illorũ grauitate,& firmitate collocaſſe, tamen, quoniam ad eorum defenſionem rurſus prouocor,quæ præpeditus celeriter ſcripſi,mihi ipſe non deero,ut aduerſa rio quamuis potentisſimo me iterum laceſsenti reſiſtam,& me incolumem, quãtum posſim, conſeruem. Cuius rei deſiderio tenentur naturaliter non ſolum homines,uerum etiam ani malia ratione carentia, ut ſe pro uirib. tueantur,&,quæ nocere posſint, propellant. Quare non temere uidebor feciſſe, ſi naturæ ſequens

impulſionem ad ea, quæ contra me edidit Sigonius, reſcripſero, & operam etiam, atq. etiam dedero, ne me auctoritate ſua ſane grauisſima prorſus opprimat. Neque enim in cauſſa tam iuſta cedere facile debeo, pro ueritate ipſa propugnans, quam omnib. eſſe gratiis præferendam, ipſe confeſſus eſt. Quoniam uero idem uarietate ſcribendi oblectatur; quemadmodũ cum is contra primum iudicium meum duas orationes ſcripſiſſet (οἱ πονηρὸν γὰρ τὸ πρᾶγμα ἔχοντες, ἢ δοκοῦντες, λέγουσι τὰ κύκλῳ, καὶ προοιμιάζονται) ego quattuor diſceptationes reſcripſi: ſic, cum ipſe Dialogum de controuerſiis noſtris confecerit, ego quoque Dialogum contexam, cum aliis doctis uiris, tum tibi in primis, Laurenti Maſſa, uir Clarisſime, cuius auctoritati plurimum ſemper tribui, iudicandum. Te enim potiſsimum de reb. meis ferre iudicium cupio, tum quia tu facile potes, tum quia, ſi labores, & uigiliæ meæ tibi, patrono meo, probatæ fuerint, id ualere poteſt ad ſingularem tuum in me amorem confirmandum. Neque enim de tua præſtantia dubitandum eſt, qui ad eius ordinis amplitudinem uirtutum tuarum admiratione perueniſti, quò uiris tãtum non ſolum fide, diligentia, ſapientia, ſed etiam eloquentia exquiſita ornatis patere aditus ſolet: qui præter alia multa, & magna, quæ dediſti, ſapientiæ, atq. eloquentiæ documenta, cum Serenisſimus

Venetiarum Princeps, Aloyſius Mocenicus, in funere laudandus eſſet, nec facile inueniretur, qui admirabilib. ac prope diuinis tanti Principis uirtutib. oratione ſatisfaceret, ipſe ualde idoneus exiſtimatus es, qui ad Principem exornandum adhibereris, & adhibitus tam præclare id muneris obiuiſti, ut omnib. fueris admirationi. Ego uero maximopere curare debeo, ut, quòd mihi ſemper incredibiliter faueris, numquam tibi in mētem ueniat pænitere. Tu me in hac præclara ſede, in qua treſdecim abhinc annos ueteris doctrinam eloquentiæ profiteor, tuis prope manib. collocaſti. Tu me, ut ampliori præmio afficerer, iam bis adiuuiſti. ita, ut omnem dignitatem, & commodum meum fatear à tua benignitate, & humanitate, tāquam à fonte, deduci. Quamobrem cauſſam meam tibi in primis & maxime idoneo ad indicandum, & ſummo patrono meo, probari exopto. Sed iam felicib. ampliſſimi nominis tui auſpicijs Dialogi exordium capiam.

DIALOGVS
INTER
CAROLVM SIGONIVM,
ET
ANTONIVM RICCOBONVM.

SIGONIVS.

LEGISTI'NE *libellum meum, quem Accuſatorem inſcripſi?*

RICCOBONVS.

Et legi, & miratus ſum. SIG. *Cur, quæſo, miratus?* RICC. *Quòd artificio tuo mihi iniuriam facere tamdiu perſeueres.* SIG. *De qua iniuria conquereris?* RICC. *De ea præcipue, quòd me accuſatoris nomine ſignificaſti. Memini enim, quod ſcriptum reliquit Cicero libro ſecundo Officiorum, non ſolum periculoſum eſſe, ſed etiam ſordidum ad famam, aliquem committere, ut accuſator nominetur; idq. contigiſſe M. Bruto, ſummo genere nato, illius filio, qui iuris ciuilis in primis peritus fuit.* SIG. *Quid? nonne idem ſcripſit, & L. Craſſum admodum adoleſcentem non aliunde mutuatum eſſe, ſed ſibi ipſum peperiſſe maximam laudem ex illa accuſatione nobili, & glorioſa, ob quam C. Carbo, homo*

eloquens,

eloquens, & conſularis, eſt condemnatus: & idem feciſſe adoleſcentem M. Antonium: & P. Sulpicij eloquentiam accuſatione illuſtratã eſſe, cum ſeditioſum, & inutilem ciuem C. Norbanum in iudicium uocauit? non ne in Diuinatione in Verrem teſtatus eſt, P. Lentulum, qui princeps ſenatus fuerat, accuſatorem fuiſſe M' Aquillij, & à P. Africano, homine uirtute, fortuna, gloria, reb. geſtis ampliſſimo, poſt duos eius Conſulatus, & Cenſuram L. Cottam in iudicium uocatum eſſe? Cur igitur, ſi his, & alijs fuit laudabilis accuſatio, tibi turpe putas nomen accuſatoris? RICC. *Quia eo modo accipio, quo mihi tribuiſti. Video enim te ita me appellaſſe, non ut laudares, & honorares, ſed, ut turpitudinis mihi notam inureres. Equidem non ignoro quandoque accuſationem laudandam eſſe, maxime uero in adoleſcentia, & cum exercetur aut Reip. cauſſa, aut patrocinij; quemadmodum ego litterariæ Reip. cauſa, & patrocinij, quod ſuſcepi ueteris eloquentię, profiteri non ſine laude poſſem illius Conſolationis accuſationem: ſed non magis illum librum accuſaui, quàm Ciceronem defendere conatus ſum à perniciosis illorum uocib. qui eius nomini abſurdiſſimum opus tribuere audent.* SIG. *Agnoſco artificium oratorium, ut etiam accuſationes nominari quodammodo defenſiones poſſint. Itaq. Cicero in Diuinatione in Verrem ſuam accuſationem appellat defenſionem his uerbis: Qui nunc populati,*

ti, atq. uexati cuncti ad me publice ſæpe uenerũt, ut ſuarum fortunarum omnium cauſſam, defenſionemq. ſuſciperem. & in tertia actione: Quam quam in hac cauſſa multo plures partes mihi defenſionis, quàm accuſationis ſuſcepiſſe uideor. RICC. *Poſteaquàm Orationum Ciceronis mentionem feciſti, mihi uenit in mentem illius dicti, quod legitur pro Sex. Roſcio: Accuſatores eſſe in ciuitate utile eſt, ut metu contineatur audacia, quorum alij anſerum, alij canum ſimiles eſſe dicuntur. Alij enim ueſtrum, inquit Cicero, anſeres ſunt, qui tantũmodo clamant, nocere non poſſunt: alij canes, qui & latrare, & mordere poſſunt. Sed, uter noſtrum nomine accuſatoris dignior ſit, breuiter uideamus.* SIG. *Quid? tu me etiam accuſatorem appellabis?* RICC. *Sane, idq. tuis ipſius uerbis comprobabo. Nam, cum ego id feciſſem, quod mei muneris putaui eſſe, ut, quid de illo Conſolationis libro ſentirem, breuiter aperirem, & nullam certam perſonam accuſaſſem, ſed eam maculam, quæ penitus iam inſederat in Ciceronis nomine, quòd uir ſapientiſſimus, & eloquentiſſimus talem Conſolationem talib. erratis, & Latinitatis ſordib. refertam compoſuiſſet, delere conatus eſſem, ſtatim tu palam me accuſaſti, quòd Ciceronis nomine eum librum priuarim, quem propter præſtantiam ſuam ab ullo recentiorum factum eſſe ueriſimile non eſt, & Ciceroni maledixerim, ac, quæ propria eius ſunt, ei detraxerim, atq.*

hoc modo magnum ſcelus commiſerim. Quamobrem ego tui accuſator non fui, niſi forte præter opinionem meam, ſi, quod multi crediderunt, tu ipſe illius libri auctor fuiſſes, cuius nimis,& plus nimio amans uiſus es. Tu uero non præter animi tui ſententiam, ſed ſciens,& uolens, non occulte, ut profiteris, ſed aperte, palamq. in luce, atq. oculis omnium mei accuſator fuiſti; idq. tu idem non negaſti, cum me ſub nomine accuſatoris ita tamen tecum colloquentem induxiſti: Quid? tu tuis rationib. haud ſatis occurſum exiſtimas, quib. tu illum eſſe Ciceronis aperuiſti, meq. qui id abnuerem, arguiſti? Haud prorſus. Sig. *Mittamus quæſo iſta, atque, ſi quid de re dicendum eſt, id agamus.* Ricc. *Iis, quæ præter rem facta ſunt, ab re non eſt reſpondere. Conqueri præterea poſſum, quòd in principio accuſationis tuæ falsò mihi quiddam tribuiſti.* Sig. *Quid nam falsò tribui?* Ricc. *Quod ſcripſerim, qui librum illum, de quo controuerſia eſt, ediderunt, eos ſcriptum adulterinum, perinde ac teſtamenta teſtamentarij, ſubieciſſe; de quo crimine iam me excuſaueram. Verba enim prioris mei iudicij ſunt: Quemadmodum non deſunt quidam improbi homines, qui quaſi artem quandam factitant ſupponendi falſa teſtamenta pro ueris, teſtamentorum ſubiectores, & teſtamentarii nuncupati: ita non nulli reperiuntur, qui, lucelli ſui cauſſa, ut lectorem inducant hiantem, libris quandoq. etiam ineptiſſimis ueterum ſcriptorum*

rum nomina præponere non uerentur, quos ad exẽ plum teſtamentariorum fortaſſe eleganter librorũ ſubiectores poſſumus appellare. Hic non obſcure loquor de ijs, qui libris ineptisſimis ueterũ ſcripto rum nomina præponunt. Iam ij, qui librum Conſolationis ediderunt, uel edendum tradiderunt, aut ei præpoſuerunt nomen Ciceronis per quandam, ut ita dicam, impoſturam, quod numquam credidi: aut non præpoſuerunt, ſed præclaro nomine inſignitum aliunde habuerunt. ſi primum eſſet (εἰρήσεται γὰρ τἀληθὲς) *de eis ſine dubio loquerer: ſed me id non putaſſe, ex eo conſtat, quod talem Conſolationem tali nomine præditam non Venetijs ortam eſſe, ſed aliunde ad manus eorum, qui eam typis imprimendam curarunt, perueniſſe ſcripſi in hunc modum: Cum huiuſmodi libro propter iniuriam temporum careremus, dici non poteſt, quantum ſuperiori proximo anno à grauisſimis quibuſdam uiris mihi gaudij allatum ſit, cum affirmatum eſt, eum Venetias delatum eſſe, ut in lucem, atq. aſpectum hominum proferretur. Hæc in priori illo iudicio. Si eſt, quod ſequitur, quam eis feciſſe iniuriam uideri poſſum? De quo ita mê in prima diſceptatione mea purgaui: Cum ſcirent, quod ego ſine dubio ignoraueram, ornatiſſimum uirum eiuſmodi Conſolationem edendã tradidiſſe, ipſum à me, quod apertisſime negaui, et nego, minus honoratè ſignificatum eſſe diuulgarunt. Verum, cum alia omnia cogitaſſem, præter quàm*

eius

eius offenſionem; in maxima maleuolorum homi num admurmuratione eam cepi conſolationem, quòd, cum fama ſit haberi Venetijs manuſcriptum Conſolationis librum, trecentorum prope annorũ antiquitatem præſeferentem, potuerit uir ornatiſſimus exiſtimare, locutum eſſe me, non de eo, qui librum edendum tradiderit, ſed de eo, qui abhinc trecentos annos fortaſſe confinxerit; ut nemo profiteri debeat, ſe hac de re ſuccenſere, niſi qui ſe ipſum ſimulaſſe iſtam Conſolationem confiteatur, et ſimul mihi cauſſæ uictoriam concedat. Hiccine tu legiſti, & nihilominus inter eum, cuius ego gratiam appetiui, & me ipſum fouere inimicitiam ſtudes? Sɪɢ. *Scis ex arte noſtra,* τῷ μὲν διαβάλλοντι κακοηθιστέον, ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐκλαμβάνοντι: τῷ δὲ ἀπολυομένῳ ἐπὶ τὸ βέλτιον. *Quare mirari non debes, ſi, dum te arguo, omnia in peiorem partem traho.* Rɪᴄᴄ. *Egregium uero artificium, niſi inter eos adhiberetur, qui inter ſe exercere amicitiã profitentur. Equidem uideo te cauſſæ tuæ mirabiliter ſeruire, quemadmodum etiam, cum cauſſam affers, quamobrem ad mea ultima nõ reſpondiſſes, niſi me requirere reſponſum animaduertiſſes. Dicis enim te ab huiuſmodi officio præcipue propter nimiam huius diſputationis tenuitatem abhorrere, & cupiditatem meam, ut reſpondeas, ex eo cognoſcere, quòd ego nomem tuum, cum ipſe meum ſuppreſſiſſes, enunciaui. Ergo, quam diſputationẽ tu tamquam grauiſſimam tanto contentionis ardo*

re ſu-

re ſuſcepiſti, ut fulgurare, & tonare inſtar Periclis in illis tuis orationib. uiſus ſis, quæq. ſatis graue habere argumentum uidetur, ut liber grauisſimo uiro, Ciceroni, & quidem grauisſimo tuo iudicio tributus diiudicetur, atq. uel Latina lingua, eo ſi uirtus cognoſcatur, tãquam præclaro monumento cumulata eſse intelligatur, uel is, ſi adulterinus ſit, à noſtris blibliothecis, et ſcholis ablegetur, idem leuisſimam eſse ſignificas; fortaſse leuisſimam alia de cauſsa, quàm tu cenſes, quia de leuisſimo libro diſceptatur, qui tamen tamquam grauisſimus defenditur. Sed ab ea magis initio, quàm num, abhorrere debebas. Conqueri autem uideris, & immerito conqueri, quòd, cum ipſe meum nomen ſuppreſseris, ego tuum enunciauerim. primum enim paria ſunt nominare aliquem, et aperte indicare; immo uero paria non ſunt, quia illud eſt ſine contemptione aduerſarij, maxime uero ſi is cum honore nominetur: hoc cum contemptione, dum eius, tamquam indigni alicuius, nomen reticetur. Deinde uero cauſsam non uideo, cur uiri honorati illis ipſis in reb. nominandi nõ ſint, in quib. ſe ipſos nominauerint. Iam aperte me ipſum indicaſti non ſolum in inſcriptione operis à te editi, ubi nominatur Conſolatio Ciceronis, Iudicium Antonij Riccoboni in Conſolationem editam ſub nomine Ciceronis, Orationes duæ Caroli Sigonij pro Conſolatione; & palam cognoſcitur, Sigonium cade re Riccoboni aduerſarium eſſe: uerum etiam in

meo-

meorum ipſorum uerborum refutatione. Quæ enim uerba reprehenduntur tamquam incerti auctoris, ea in eodem uolumine mea eſſe apparet: ut non ſine magno contemptu meum reticuiſſe nomen in re manifeſta uidearis; quaſi profiteri erubueris te longe ſuperiorem cum inferiori controuerſari, perinde ac Aiax Telamonides cum Cebrione pugnaret. Sed, ſi tu fueris Aiax, fortaſſe me Cebrionem non inueneris. Cum autem illarum duarum orationum, quas in me ſcripſiſti, te auctorem cum maxima tua laude nominaueris; cur ego ad illas reſpondens tacere nomen tuum debebam? Combuſſeras'ne templum Dianæ, ut tãquam Heroſtratus nominandus non eſſes? In eo tamen ab illo differs, quod ille etiam ob perpetratum facinus prædicari de ſe, ac nominari uolebat: tu uero etiam illarum orationum ſane pulcherrimarũ (uereor enim luculẽtisſimas appellare, quoniam id ad reprehenſionem meam trahis, de quo poſtea uiderimus) illarum inquam ipſarum orationum, in quib. nomen tuum inſcripſiſti, te auctorem nominatum eſse indignaris. Sed, pace tua dixerim, προφάσεως δέεται, μόνον ἡ πονηρία. *Videris enim quemlibet prætextum arripere, ut me oppugnes.* SIG. *Non eſt ita: ſed, quod ego feci, tu ſequi debebas, ut quaſi in incertum auctorem uterque noſtrum agere uideretur.* RICC. *Qua nam lege ego aſtringebar, ut id facerem?* SIG. *Amicitiæ lege.* RICC. *Ergo lex amicitiæ permittit, ut*

amicus,

amicus, qui alia omnia agens præter quàm amici offentionem in incertam ſcripſit perſonam, in libri inſcriptione tamquam aduerſarius nominetur, & in ipſo libro ſuis ipſius uerbis ante lectorum oculos poſitis, & refutatis ſub perſonæ incertæ ſimulatione aperte refellatur, omnibusq. quaſi machinis oppugnetur: & non permittet, ut ſe ipſum etiam nominatim, maxime uero in re manifeſta, & quæ diſsimulari non poteſt, defendat? Verum, ut hoc mittamus, quod factum mutari non poteſt, uelim ut ea, quæ contra me poſtremo diſputaſti, repetere, &, quid reſpondeam, audire ne graueris. SIG. *Voluntati, ſtudioq. tuo parebo. Sed, ſi in ijs reb. quæ certiores ſunt, patimur eruditos a nobis homines pro arbitrio disſidere, in re tam cæca, atq. obſcura, grauiter te accepturum, me tecum diſcrepare, non arbitror: præſertim uero, cum ſola argumentorum cõtentione inter ſe facta futurum ſit, ut omnis error ex animis hominum euellatur, & ueritas ipſa prodatur, quam non teſtimonijs, & auctoritatib. ſed ipſa re, & ratione debemus exquirere.* RICC. *De me recte opinaris: te enim quamuis eruditisſimum, eundemq. mihi amicisſimum non mecum ſentire, patienter fero, ſi modo non animi contentione, ſed opinionis diſsenſione diſsentis. Quod teſtimonia, & auctoritates reijcis, rem, & rationem complecteris, oratorie facis. Tamen non ignoras non ſolum non habenti teſtes ſua eſse argumenta, ſed etiam* ἔχοντι πρὸς μὴ ἔχοντα, ὅτι

οὐχ ὑπέδικα τὰ εἰκότα: καὶ ὅτι οὐδὲν ἂν ἔδει μαρτυριῶν, εἰ ἐκ τῶν λόγων ἱκανὸν ἦν θεωρῆσαι: & quòd tunc maxime teſtib. eſt fides adhibenda, cum illi ſunt grauiſſimi, qualib. ego uſus ſum, & cum ipſis teſtib. adhibitis etiam ratio ſuffragatur. Quoniam uero mea libri de Conſolatione indicandi ratio parum tibi afferre momenti uidetur ad abrogandam ei Ciceronianam auctoritatem, quò nam tu modo eam inſtitui oportere cenſeres? SIG. *Non eſt, quòd Sus Mineruam. uerum, ut mea fert opinio, quemadmodum ego ſcripſi, hunc librum Ciceronis uideri, quòd omnes ſententiæ, fragmenta, exempla, uerba, quæ Conſolationis olim fuiſse conſtaret, in hoc ipſo admirabili quodam ordine, & ſingulari conſtantia legerentur: ſic tu oſtendere debuiſti, aut omnia, aut certe aliquid horum abeſse, quæ aperte germani huius libelli laudem, & gloriam continerent. quod tu nulla in parte animaduerſionum tuarum feciſti, uerum eorum exemplo, qui cũ partum ſubditicium arguunt, nulla tamen deeſse ſigna legitimi parentis oſtendunt, totum corpus relinquens, atq. næuos tantum, & crepundia intuẽs, hoc pacto in tota actione tua ſcripſiſti, Si Cicero hic eſset, hoc, aut illo modo ſcripſiſset, aut non ſcripſiſset. Quod quis affirmare pro certo poteſt, niſi is, qui aut plus, quàm ſatis ſit, coniecturæ, ac iudicio ſuo tribuat, aut cui Cicero in aures arcana ſua inſuſurrare conſilia ſoleat?* RICC. *Agis quidem de te modeſte, cum illo contrito, ac peruulgato*

prouerbio, Sus Mineruam: ſed amice facis, ut me doceas, quam rationem inire debuerim, & ſimul ſignifices magnam eius, qui illam Conſolationem ſimulauit, diligentiam, atq. induſtriam, qui ſua cautione fecit, ne quid eorum, quæ Conſolationis olim fuiſſe conſtaret, (quæ tamen facile cognoſci potuerunt ex ijs, qui illius libri fragmenta accuratisſime collegerunt) deeſſe uideatur. Eam uero rationem non tenui, neq. laboraui in nouis fragmentis inueniẽdis, quæ ab hoc libro abeſſent, ne forte mihi cõtingeret, quod tibi uidetur contigiſſe, qui, dum laboras, ut aliquod nouum fragmentum inuenias, locum nobilisſimæ orationis pro Milone, & locum Petrarchæ pro fragmentis recipis. Neq. eſt, quòd illum admirabilem ordinem celebres, illum inquã tuum, quem non eſſe admodum Ciceronianũ coniecturis probaui. Neque, quòd ſingularem illam conſtantiam iactes, quæ, ut oſtendi, potius poteſt, ſingularis rerum, quæ tractantur, inconſtantia nominari, cum ille ſimulator raro ſibi conſtet. Venis ad eorum exemplum, qui, cum partum ſubdititium arguunt, nulla tamen deeſſe ſigna legitimi parentis oſtendunt, neq. ſimiliter dicis totum corpus reliquiſſe, & næuos tantum, ac crepundia intuitum eſſe. Ego uero mihi uideor plurima ſigna ueri Ciceronis ab eo partu abeſſe ſatis demonſtraſſe, & totum corpus ita excusſiſſe, ut mẽbrum reliquerim nullum; ac ſatis eſſe putaui explicare, non ſolum in principio libri poſitam eſſe ſententiam ab

ſurdam; deinde inſertam diſputationem de ſene-ctute repugnantem alteri Ciceronis diſputationi, de quo nulla facta eſt excuſatio; & multa deprauata; & fragmenta eodem ordine, quo à fragmentorum inueſtigatorib. edita ſunt, interpoſita; & quædam exempla aliter commemorata, quam à Cicerone fuiſse narrata uideantur; & uſurpata quædā uerba minus Ciceroniana; alia minus propria; non nulla minus latina: uerum etiam totum opus diuiſum in undecim partes ita errorib. repletū eſſe, Cicerone indignis, ut nulla eius pars ſit, quæ merito reprehendi non posſit; & tribuere huiuſmodi librum Ciceroni nihil aliud ſit, niſi facere Ciceronem imprudentem, qui contraria, & repugnantia ſcripſerit; Dialecticæ ignarum, qui abſurde quædam concluſerit; ueteris hiſtoriæ inſcium, qui non bene memoriam temporum replicauerit; non bene antiquitatis monumenta excuſſerit; Grammaticæ rationis expertem, qui etiam ſolæciſmos, ſi dijs placet, commiſerit. Quid eſt totum corpus intueri, ſi hoc non eſt? Hæccine tu, quæ notaui, appellas næuos tantum, atque crepundia? Sed ad hos næuos, & ad hæc crepundia alia multa facile adiungerem, niſi, quæ adhuc ſcripſi, ſatis eſse poſſe exiſtimarem; nec plus, quam ſatis eſt, coniecturæ, ac iudicio meo tribuo, qui etiam, te notante, uſque adeo titubanter, ac timide res tango, ut, quo iudicio præditus ſum, ne ipſe quidem mihi ſatis confidere, aut plurimum in meis animaduerſionib. mo

menti

menti ad uictoriam conſtituere uidear; nec profiteor me à ſecretis eſse Ciceronis, qui,ut tu putas, ne Ciceronem quidem agnoſco: ſed te exiſtimo nõ ſolum egregie, cum uelis, poetarum munere uel in ſoluta oratione fungi,qui ex nihilo aliquid efficiunt; & hiſtoricorum, in quorum præclaro numero fulges, qui uerum profitentur, & tantum uerbis exprimunt, quantum res ipſa continet: uerum etiam præclarum oratorem agere, qui modo augeas, quod longe minus eſt, ut cum iſtam Conſolationem plus nimio laudas, modo extenues, quod reuera maius eſt, ut cum mea ipſius argumẽta improbas,et næuos,ac crepundia nominas. Sig. *Exiſtima, quidquid uelis, dummodo non me quaſi importune tuis laudib. obtrectantem, aut parum amici munere,officioq. fungentem accuſes. Quid enim aliud ago, quàm quòd te in ſcriptorem incognitum infeſtius inuadentem,ac ſæuum tui mucronem ingenij diſtringentem, quaſi intercurrens à conatu illo non omnib. fortaſſe probato deterreo, inquiens; Caue,ne irruas, hominem ignoras, nobilis eſt, amicus eſt,ualet ingenio, excellit doctrina, &,quod caput, eſt,bonitate præſtat, & innocentia?* Ricc. *Non te accuſo, ſed à tuis accuſationib. me defendo; nec te oppugnare conor, ſed tibi repugnare. Gaudeo uero te aliquid remittere de priſtina illa tua contentione, dum non acrius, ut ſolebas, Ciceronem ipſum impugnari contendis, ſed remiſsius ſcriptorem incognitum inuadi confi-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

teris. Ita uero me dij ament, ut, cum illum ſcriptorem incognitum deſcripſiſti, mihi Sigonium deſcribere uiſus es. Sed uide, quid tibi tribuam, & merito tribuam: etiam ſi tu ipſe affirmares iſtum librum tuum eſſe, exercitationis cauſſa, & experiundi ingenij conſcriptum: tamen, pace tua dixerim, propter multa, & magna errata, quæ numquam tibi tribuerem, ut alias quoque dixi, ne tibi quidem ipſi crederem. Quod ſi eſt alterius uiri nobilis, amici, ingenioſi, docti, probi, & innocentis, qui uiuat, cum clara etiam diuini numinis conteſtatione affirmo, me numquam de eo aliquid ſcripturum fuiſſe, ſi exiſtimaſſem uiuentem aliquem, maxime uero amicum, ſcriptis meis læſum iri, ſed ſpectaſſe uetuſtiorem illum ſimulatorem, cuius librū haberi Venetijs manuſcriptum, trecentorum prope annorum antiquitatem præſeferentem, dictitatū, & in uulgus iactatum eſt. Quando autem res eũ in locum adducta eſt, ut mihi ab ea, quam iampridem dixi, ſententia recedere non ſit integrum, quẽadmodum ſi is amicus meus, priuſquàm Conſolationem edidiſſet, me ipſum conſuluiſſet, illud conſilij dediſſem, ut eam accuratius conſideratam, & emendatam, non ut Ciceronis, ſed ut ſuam ad imitationem Ciceronis conſcriptam, ederet, ex qua ipſe poſſet, maxime ſi errores eſſent correcti, magnã ſibi gloriam comparare: ſic, ſi nunc meum peteret conſilium, ei conſulerem, ut lateret, & in alijs exercitationib. ſuis diligentior eſſet, nec tantum

ſibi arrogaret, ut poſſet ſua ſcripta pro ueterum ſcri ptis, & maxime Ciceronis, diuulgare. Cuiuſcumque autem liber ſit, mihi neceſſe eſt primam meam de eo ſententiam tueri, maxime uero quia eam non uideo ſatis ex ueritate adhuc fuiſſe reprehenſam. Quamobrem, ut tandem ad cauſſam noſtram ueniamus, cum in priori meo iudicio acto cōiecturas attulerim, de reb. quinque, de uerbis tres, quid dicis de prima?

PRO PRIMA CONIECTVRA IN PRIMAM SENTENTIAM CONSOLATIONIS.

SIGONIVS.

PERSVADERE *conatus es, ſi Cicero tale principium Conſolationis ſuæ feciſſet, Quamquam recentib. morbis medicinā adhibere, uetant ſapientes, eum poſtea in quarta Tuſculana id fuiſſe ſignificaturum, quia ſolet Cicero citare priores libros in poſteriorib. cum res aliqua illorum in his commemoratur.* RICC. *Cur actum agimus? cur minima, & confeſſa perſequimur, maxima, et controuerſa non curamus? Nonne quamuis dubitādi cauſſa id ſcripſiſſem, (ad dubitandum enim probabilia omnia ualent) tamen poſtea oſtendi magnum me momentum ea in re minime collocare, ac conceſſi potuiſſe Ciceronē eadem de re in duob. uel plurib. libris agere etiā ſi-*

ne ulla mentione repetitionis? An uero dicis te ab horrere à rerum tenuitate, & tamen tantopere, et tamdiu in reb. tenuib. immoraris? SIG. *Addidiſti te eam rem obſeruaſse non tamquam neceſsariam, quæ perpetuò ſeruaretur; ſed ut uerisimilem, quæ plerũque ita ſe haberet apud Ciceronem, maxime uero de libro Cõſolationis, cuius ſententias, cum oblata eſt occaſio, commemorandi, eius ipſius libri mentionem facere ſolitus eſt. Tamen non ſolum non plerumque, ſed ne ſemel quidem obſeruata eſt.* RICC. *Vt tu intelligis, fortaſse uerum: ut ego ſenſi, nõ uerũ. Tu. n. diſtinxiſti, Ciceronem eiuſmodi ſignificationem præbere ſolitum fuiſse, non quoties aliquam alicuius ſcriptoris ſententiam iterauit: ſed quoties aut totum libri argumentum, aut inſignem eius diſputationis locum aliquem retractauit. Ego uero maioris dubitationis cauſſa non magis unum, quàm alterum modum notaui, ſed in uniuerſum locutus ſum, ac conſuetudinẽ Ciceronis probaui, quod in prima Tuſc. teſtatus ſit ſe egiſse de animorum natura in Conſolatione, & ſe uitam hominũ deploraſse in eo libro, in quo ſe ipſum, quantum potuit, conſolatus eſt: & in tertia Tuſc. ſe in Conſolatione collegiſſe, Maximũ, Paullum, Catonem, alios; & fere ſe omnia genera conſolandi in Conſolationẽ unam conieciſſe.* SIG. *At hæc cadunt in ſecundum membrum diſtinctionis meæ, non in primum.* RICC. *Diſtingue, ut lubet. Sat enim habeo, ſi mihi fuiſſe aliqua dubi-*

tandi occaſio iuкicetur. Sig. *Quid? quòd ſubiunxiſti, Ciceronem in Tuſc. ita ſcripturum fuiſſe: Quodq. uetat Chryſippus, ut in Conſolationis principio ſcripſimus: & tamen Cicero in Conſ. non nominauit Chryſippum, ſed ſapientes, quæ uox cadere poterat in alios etiam, quàm Chryſippum, ut in Hippocratem, & Platonem, quos ante Chryſippum eiuſmodi ſententiam prodidiſſe monſtraui?* Ricc. *Potuit nominare Chryſippum in Tuſc. declarando uocem ſapientum, ſi poſita fuiſſet in Conſolatione, ut, quamuis uox ſapientum poſſet cadere in alios, quàm in Chryſippum, tamen intelligeretur, quem de ſapientib. potiſſimum ſignificaſſet. Sed inaniter facimus, qui illam ſententiã Conſolationis ulli ſapientum attribuimus, quæ adeo falſa eſt, ut nec Chryſippi, nec Hippocratis, nec Platonis, ſed alicuius imperiti cenſenda ſit, quod in meis diſceptationib. demonſtraui.* Sig. *Dixiſti etiam, te illud, Vt in principio Conſolationis ſcripſimus, non retuliſſe ad id, quod præceſſit, Quodq. uetat Chryſippus, ſed ad id, quod ſequitur, Ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere. At uide, quàm hoc facile recta adhibita diſtinctione potueris: neſcio enim, quomodo referri poſſit, Vt in principio ſcripſimus, aliò, quàm ad id, quod anteceſſit.* Ricc. *Quilibet, opinor, ſi ita ſcriptum fuiſſet, intelligere facile poſſet, ut ego intellexi, ſcriptum fuiſſe in eo principio, non uetare Chryſippum, ſed ad recentes quaſi tumores*

animi

animi remedium non adhibendum, et totam ſenten tiam ſignificatam eſſe, nō auctorem ſententiæ demonſtratum, ut poſtea in Tuſc. illud, Vetat Chriſip pus, eſſet poſitum ad illud explicandum, quod legeretur in Conj. Vetant ſapientes. Hoc tamen re linquo ſtudioſorum iudicio, & huiuſmodi res omnes leuiores exiſtimo, quàm quæ ab utroque noſtrū diutius tractari deberent, iccircoq. eas, dum in ſecunda diſceptatione primam coniecturam tractarem, in poſtremum locum reieci; quib. tu obruere grauiora cupiens argumenta, prope in ueſtibulo diſputationis tuæ uſus es; neq. hoc facto contentus, quiddam etiam præter rem adduxiſti, ut unam uocem meam reprehenderes. SIG. *Quid nam, quæ ſo?* RICC. *Nempe, quod ego in prima diſceptatione dixeram, non occaſione huius ſententiæ, quā in prima Coniectura pertractamus, ſed ut animū in te meum omnib. declararē, me iudicium tuum, ſi poſſem, libenter meo ipſius antelaturum fuiſſe: ſed, quoniam à prima mea ſententia iam edita mihi recedere non liceret, iccirco ad duas luculentiſſimas orationes, quib. ei multas erroris tenebras obijcere conatus eſſes, reſponſurum eſſe.* SIG. *Non'ne id imprudenter dictum eſt, Duab. luculentiſſimis orationib. tenebras obijcere? Ecquid in meis illis, quas luculentiſſimas uocas, orationib. tandem fuit, quod iudicij tui officere luminib. qui uerit? Quando enim alias luculenta, id eſt, lucis plena quæ eſſent, reb. ullis tenebras offuderunt?*

RICC.

Ricc. *Intelligo, me à propoſito auocari: quid enim hoc ad ſententiam, qua de agimus? maxime uero non ex hac ipſa diſputatione deſumptum, ſed aliunde, & quidem longe petitum? Sed, quamuis ſciam, hoc eſſe artificium eorum, qui iniuſtam cauſ ſam tuentur, ut à re ipſa abducāt aduerſarios, eaq. digreſſionib. obruant: tamen tibi ſatisfaciam, ut aliquantiſper tecum digrediar. Ac primum quidē tibi magnas gratias ago, quòd, cum tu ſemper ingenio meo faueris, laudiq. ſtuducris, ut ego ſemper credidi, meum etiam ſtudium adiuues, docens proprietatem uerborum. Deinde, ſi lapſus ſum, aio me ea propemodum incuria uſum eſſe, qua tu quoque uti uiſus es, cum in prima tua oratione Ciceronem ipſum ita loquentem induxiſti: Qui ſe in uita iuſte, caſte, atq. integre præſtitiſſent, pro Qui ſe in uita iuſtos, caſtos, atq. integros præſtitiſſent. &, Quod factitare Demoſthenē obſeruaui, ut eademmet uerba, quoties apte caderent, adhiberet. Quis enim umquam dixit, Idemmet, niſi tu, & ego tuo exemplo, modo dicendi non ſatis conſiderato? Poſtremo puto me recte locutum eſſe. Nam, tametſi tibi uidetur abſurdum, ut luculenta, & lucis plena ullis reb. tenebras offundere dicantur: tamen non abſurde fortaſſe ſignificatur, illa efficere, ut hæc nullam propriam lucem habere uideantur. Vis exemplum? afferam, & quidem, ut arbitror, optimum. Nihil enim aliud eſt tenebras offundere, niſi obſcurare. Id quod ſi tribuitur ſoli, multo magis tribui*

lucu-

luculentiſſimis orationib. poteſt. Atqui reminiſcere uerba Ciceronis in lib. 3. de finib. ſic ſcribentis: Obſcuratur, & offunditur luce ſolis lumen lucernæ. Significo igitur primum meum editum iudicium eſſe tamquam lumen lucernæ, tuas uero orationes, tamquam lumen ſolis, ita ut illæ huic tenebras offundant, ideſt, illæ hoc obſcurent. Quãquam caui, quantũ potui, ne prorſus obſcurarent. SIG. *At lux, & tenebræ ſunt res inter ſe omnino diuerſæ, & disſimiles.* RICC. *Quid ni? Ariſtoteles enim laudat tranſlationes, & ſimilitudines ductas à reb. quæ manifeſto ſimiles non ſint, & ſcribit,* καὶ ἐν φιλοσοφίᾳ εὐστόχου εἶναι τὸ ὅμοιον, καὶ ἐν πολὺ διέχουσι θεωρεῖν. *& Cicero ſolet dicere aliquid eſſe in disſimili genere perſimile. Quæ cauſſa fuit, quamobrem, cum Typographus pro luculentisſimis uocem lutulentiſsimis impreſſiſſet (quæ fortaßè magis tuo ſenſui quadraſſet) id non paſſus ſim, ſed uocem luculentiſſimis reponendam eſſe curauerim, aliter fortaſſe facturus, ſi tuum ſenſum melius nouiſſem. Sed uis'ne, ut ad propoſitũ redeamus?* SIG. *Sane, ſi placet.* RICC. *Perge igitur repetere, quod mihi obieciſti.* SIG. *Illam ſententiam, Vetant ſapientes, recentib. morbis medicinam adhibere, contendiſti ſua fuiſſe ratione muniendam ex præcepto Ariſtotelis, tamquam cõtrouerſam, & illi alteri repugnantem, Principijs obſta. quæ tamen probabilis erat, & iccirco non indigebat ratione. ſi quidem probabile dicitur,*

quod

quod probatur aut omnib. aut pleriſq. aut certe ſapientibus. Sapientes autem fuere Hippocrates, Plato, & Chryſippus. Quare non eguit ratione. RICC. *Caue, quæſo, ne hoc tamquam certum ponas, Quidquid eſt probabile, id nulla indigere ratione. pleraq; enim probabilia iccirco probabilia ſunt, quia talib. rationib. probentur. Quod ut cõfirmem, agam tecum Dialectice. Non enim uereor, ne putes me adiuiſſe Dialecticos, ut putaſti Medicos: ſi quidem ars noſtra* ἔςιν ἀντίςροφος τῇ Διαλεκτικῇ, *non Medicinæ. Sed ad rem. Quoddã perſuaſibile (ſic enim Quinctilianus appellat* τὸ πιθανὸν*) indiget ratione. Omne perſuaſibile eſt probabile. Ergo quoddam probabile indiget ratione. ſi dubitas de maiore, audias Ariſtotelem,* τὸ πιθανὸν τινὶ πιθανὸν ἐςι. καὶ τὸ μὲν εὐθὺς ὑπάρχει πιθανὸν δι᾽ αὐτὸ, καὶ πιςὸν: τὸ δὲ τῷ ἐνδείκνυσθαι δοκεῖν διὰ τοιούτων. *De minore credo te non dubitare, quia ſcribit idem Ariſtot. quædam eſſe* μὴ πιθανὰ, διὰ τὸ μὴ ἐξ ὁμολογουμένων εἶναι, μηδ᾽ ἐνδόξων. *unde colligitur perſuaſibile eſſe confeſſum probabile. Declarat alibi hoc probabile confeſſum,* καὶ τοῦτο δ᾽ ὅτι οὕτω φαίνεται δῆλον εἶναι ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείςοις. *Cum igitur ſic uidearis argumentari, Quidquid eſt probabile, non eget ratione: illa ſententia eſt probabilis, quia probatur Hippocrati, Platoni, & Chryſippo: ergo non eget ratione: primum nego maiorem propoſitionem: deinde uero etiam mino-*

rem,

rem, & minoris approbationem. Talis enim ſententia, quæ omnem excludit medicinam à recentib. morbis, tantum abeſt, ut Hipprocrati, Platoni, Chryſippo probata ſit, ut nemini umquam, quippe quæ falſiſſima eſt, probata ſit. quod ſatis in ſecunda diſceptatione mea confirmaui. Quare, pace tua dixerim, conſecutio tuæ argumentationis nihil ualet. SIG. *Alij iudicabunt. Sed multa probabilia collegiſti, quæ ut tu putas, niſi habeãt rationem adiunctam, abſurda uideantur, ut Non poſſe mentiri quemquam, aut contradicere, neq. de reb. duab. iiſdem contrarias orationes habere, quia id probabatur Antiſtheni: & omnia, quæ ſunt in hac rerum uniuerſitate, eſſe unũ, quia probabatur Meliſſo: & alia eiuſmodi, quæ attuliſti, quæq. egebant ratione, ut crederentur. Non eſt tamen mea ſententia ita. Hæc enim, & eiuſmodi alia, quæ protuliſti, theoremata erant illa quidem improbabilia, antequàm ſuis ab auctorib. probarentur: uerum, poſtquam confirmata fuerunt, probabilia euaſerunt. Itaq. eis uti ſine ratione poſt licuit: quia à ſapientib. iam auctoritatem acceperant. Vt paradoxa ſtoicorum, antequam ab eis probarentur, fuere incredibilia: ubi probata ſunt, credibilia eſſe cœperunt. Quare Cicero in paradoxis tractãs tamquam Stoicus paradoxum illud, Peccata hominum eſſe paria, etiam ſubiecta ratione firmauit. quia peccata, inquit, non euentis, ſed uitijs hominum metienda ſunt. In quo peccatur, id poteſt*

aliud

aliud alio maius eſſe, aut minus: ipſum illud peccatum, quoquo te uerteris, unum eſt. at in oratione pro Milone eo uſus eſt pro argumento probabili, neq. ulla ratione muniuit. Cur de Africani morte quæſtio nulla lata? quia non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur. Quod cum ſit falſum, tamen eſt probabile, quia Stoicis eſt probatum. Scimus autem uerum, & falſum uim ſuā ab ipſa rerum natura ſumere. probabile autem, & improbabile ab hominum, & præſertim ſapientum opinione. Ricc. *Primum declaro illa, quæ probata ſunt Antiſtheni, Meliſſo, & aliis, à me cōmemoratis, me intellexiſſe probabilia non ſimpliciter, ſed quodammodo probabilia. erant enim paradoxa, & paradoxum non eſt ſimpliciter probabile, ſed quodammodo probabile. Quare Ariſt. declarat propoſitionem dialecticam in hunc modum:* ἔςι δὲ πρότασις μὲν διαλεκτικὴ ἐρώτησις ἔνδοξος, ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείςοις, ἢ τοῖς σοφοῖς. καὶ τούτοις, ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείςοις, ἢ τοῖς μάλιςα γνωρίμοις, μὴ παράδοξος. *Dicitur* ἔνδοξος μὴ παράδοξος, *ut diſtinguatur ab illis interrogationib. quæ ſunt paradoxæ. ſunt enim quædam probabilia paradoxa, quæ proprie dicuntur Theſes, de quib. ſic idem Ariſt.* θέσις δὲ ἐςιν ὑπόληψις παράδοξος τῶν γνωρίμων τινὸς κατὰ φιλοσοφίαν, οἷον ὅτι οὐκ ἔςιν ἀντιλέγειν, καθάπερ ἔφη Ἀντισθένης, ἢ ὅτι πάντα κινεῖται καθ' Ἡράκλειτον, ἢ ὅτι ἓν τὸ ὄν, καθάπερ Μέλισσος φησι. *Deinde obſeruo te exiſtimare* τὸ ἔν-

δοξον, quod ſine dubio eſt probabile, & τὸ παράδοξον, quod tu conuertis improbabile, & ego conuerterem præter probabile, inter ſe prorſus contraria eſſe, ita ut ſimul ſtare numquã poſſint. Appellas enim paradoxa Antiſthenis, Meliſſi, & aliorum, improbabilia. & paullo poſt ſcribis: Quid eſt παράδοξον, niſi improbabile, quia ἔνδοξον eſt probabile. Ego tamen puto, cum ἔνδοξον, καὶ ἄδοξον, id eſt probabile, & improbabile ſint contraria, ἔνδοξον tamen, & probabile poſſe eſſe παράδοξον, & præter probabile, quia probetur alicui, & tamen ſit præter opinionem aliorum omnium, uel plurimorum. SIG. *Quomodo iſtam tuam perplexam differentiã probabis?* RICC. *Probabo ſic: & mihi explicatam reddam: Quod eſt præter ueriſimile, eſt paradoxum. Quoddam probabile eſt præter ueriſimile. Ergo quoddam probabile eſt paradoxum.* SIG. *Nego minorem.* RICC. *Probo minorem, & tibi gratulor, ac mihi gaudeo, quòd ex Rhetoricis Dialectici facti ſumus. Quoddam ueriſimile eſt præter ueriſimile. Omne uerſimile eſt probabile. Ergo quoddam probabile eſt præter uerſimile. Probatur maior ex Poetica Ariſt. ubi ſic legitur.* Ἔστι δὲ τοῦτο, ὅταν ὁ σοφὸς μὲν, μετὰ πονηρίας δὲ ἐξαπατηθῇ. ὥσπερ Σίσυφος. καὶ ὁ ἀνδρεῖος μὲν, ἄδικος δὲ ἡττηθῇ. ἔστι δὲ τοῦτο εἰκὸς, ὥσπερ Ἀγάθων λέγει. εἰκὸς γὰρ γίνεται πολλὰ, καὶ παρὰ τὸ εἰκός. *& ex Rhetorica, ubi ſic:* καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς ἔστι φαινόμενον ἐνθύμημα

παρὰ μὴ ἁπλῶς εἰκὸς, ἀλλά τι εἰκός. ἔςι δὲ τοῦτο, οὐ καθόλου, ὥσπερ καὶ Ἀγάθων λέγει. τάχ᾽ ἄν τις εἰκὸς αὐτὸ τοῦτ᾽ εἶναι λέγοι βροτοῖσι πολλὰ τυγχάνειν, οὐκ εἰκότα γίγνεται γὰρ τὸ παρὰ τὸ εἰκός, ὥστ᾽ εἰκὸς, καὶ τὸ παρὰ τὸ εἰκὸς. Ita ex doctrina Ariſtotelis colligitur, duplex eſſe ueriſimile, unũ, quod fit plerũque, ut cũ aſtutus decipit, & fortis ſuperat: alterum quod raro, & dicitur ueriſimile præter ueriſimile ex ſententia Agathonis, ut cum aſtutus decipitur, & fortis ſuperatur. Itaque ueriſimile quidem eſt, debilem non uerberare, & robuſtum uerberare: ſed ueriſimile quoque eſt debilem uerberare, & robuſtum non uerberare, non ſimpliciter, ſed quoddam ueriſimile, id eſt, Agathonis, & præter ueriſimile. Probatur minor ex lib. 2. Priorum, ubi definitur ueriſimile in hunc modum, τὸ εἰκὸς ἐςὶ πρότασις ἔνδοξος. Quemadmodum igitur duplex eſt ueriſimile, unum ſimpliciter ueriſimile, alterum ueriſimile quoddam, & præter ueriſimile; ſic probabile eſt duplex, unum ſimpliciter probabile, alterum probabile quoddã, & probabile præter probabile, id eſt, ut Græci loquuntur, ἔνδοξον παράδοξον. Ac probabile quidem ſimpliciter eſt μὴ παράδοξον, ut ſcripſit Ariſtot. de propoſitione Dialectica: probabile uero quoddam poteſt eſſe παράδοξον, ut de Theſi notauimus. Miror præterea te doctiſſimum uirum dixiſſe, illa Theoremata Antiſthenis, Meliſsi, & aliorum fuiſſe quidem improbabilia, antequam ſuis ab auctoribus probarentur:

rentur: uerum, poſtquam confirmata fuerunt, pro-babilia euaſiße, & tunc uſurpari ſine ratione po-tuiſſe. Illa enim tantummodo ſunt probabilia, τῷ ἐνδείκνυσθαι δοκεῖν διὰ τοιούτων, *nec umquam ſua ſine ratione ſunt proferenda. alioquin uidebuntur abſurda. Nam quod uis illud paradoxum Stoico-rum, Peccata hominum eſſe paria, probatum fuiſſe à Cicerone, tamquam Stoico, in Paradoxis, & cō-memoratum pro Milone loco probabilis ſine ulla rationis ſubiectione, ubi legitur: Non alio facino-re claros homines, alio obſcuros necari: dico, pro Milone recitari non paradoxum, ſed unam de ratio-nibus paradoxi, quæ in tractatione ipſius nulla pro-batione confirmatur, ubi traditur æque peccare ho-mines, ſi priuatis, ac ſi magiſtratibus munus infe-rant: pro Milone autem uidetur aliqua ratione muniri in hunc modum; Interſit inter uitæ digni-tatem ſummorum, atq. infimorum: mors quidem illata per ſcelus üſdem pœnis teneatur, & legi-bus; niſi forte magis erit paricida, ſi quis conſula-rem patrem, quàm ſiquis humilem necauerit. Addo huiuſmodi dictum pro Milone, quod putas ſumptum eße ex Stoicorum effato, non eſſe parado-xum, nec mere Stoicum, ſed & probabile ſimpli-citer, & Peripateticum. Nam Cicero uerſabatur tunc in corrigente iuſtitia, & uindicante ſcelera, ac maleficia, quæ neminem habet eximium, & metitur eodem omnes modulo, ſeruatque analo-giam, non ut diſtributiua, Geometricam, quæ impa-*

ribus

ribus imparia tribuit, ſed Arithmeticam, quæ eadem omnibus. Non eſt igitur dicendum, Ciceronem eo in loco uti Stoicorum Paradoxo, ſed potius aut Peripateticorum dogmate, aut etiam opinione communi, quòd in ciuitate ius æquum omnibus eſſe debeat. Sed quorſum tam multa? vt intelligatur, non ſatis firmam eſſe illam rationem tuam, aliquid non egere ratione, quia probabile ſit.
SIG. *Dixi, quod mihi uidebatur. tu puta, quod uis. Declaraſti autem ſententiam Ariſtotelis, quòd, cum egit de addenda, uel non addenda ſententiæ ratione, non intellexit, quod ego ſignifico, tunc rationem non addendam, cum aliquo modo ſententia probabilis eſt, addendam, cum probabilis non eſt; ſed, tametſi probabiles ſunt ſententiæ, eas tamen ratione muniendas, ſi controuerſæ uideantur, aut præter opinionem, ſi obſcuræ, ſi contra ea, quæ in ore multitudinis ſunt poſita. Sed quomodo erunt probabiles, ſi ſint, ut tu uocas, præter opinionē, quas ille uocauit paradoxas? ſic enim ſubiecit: Sentētiæ ratione egētes ſunt, quæ aliquod paradoxū dicunt.*
RICC. *Modo oſtendi paradoxū non prorſus repugnare probabili, ut aliquod probabile poſsit eſſe paradoxum.* SIG. *Hæc ſententia, Recentib. morbis medicinam non eſſe adhibendam, non eſt paradoxa, quia congruit cum ſententia ſapientum. quare non deſiderat rationem. &, ſi paradoxa eſſet, tamen probabilitatem ab auctoritate ſapientū, quos hic nominauit, acciperet.* RICC. *Iam intelligo,*

cur in declarandis ſententijs ratione egentibus ex doctrina Ariſtotelis mentionem feceris tantummodo paradoxi: uolebas enim ad id uenire, ut diceres, eam ſententiam non eſſe paradoxam, & iccirco ratione nõ egere. At ſcripſit Ariſt. in hunc modum, Ἀποδείξεως μὲν δεόμεναί εἰσιν, ὅσαι παράδοξόν τι λέγουσιν, ἢ ἀμφισβητούμενον. *& infra,* περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων, ἢ παραδόξων μὴ ἄνευ ἐπιλόγου. *Ergo ſententiæ indigent ratione non ſolum cum ſunt paradoxæ, ut, Eruditioni opera danda non eſt, quia eruditi inuidiæ ſubijciuntur, & ignaui fiunt: uerum etiam cum ſunt aliquo modo controuerſæ, ut Bonum eſt, cui contratium eſt malũ, quia ſi bellum ſit malum, pax eſt bona. Addidit,* δεῖ γνώμῃ χρῆσθαι περὶ τῶν μὴ παραδόξων, ἀδήλων δὲ προστιθέντα τὸ διότι στρογγυλώτατα. *Itaque, cum ſententia non eſt paradoxa, ſed obſcura, etiam requirit rationis ſubiectionem, ut ſi ſit ænigmatica, qualis illa; Cauendum eſt, ne cicadæ humi canãt: ſequeretur enim rerum omnium uaſtitas. Idem docuit, cum aliqua probatione proferendas eſſe ſententias* καὶ παρὰ τὰ δεδημοσιευμένα, *id eſt, contra ea, quæ in ore multitudinis ſunt poſita, ut Nõ oportet, ut aiunt, amare tamquam obſcurum, ſed tamquam ſemper amaturum: inſidiatoris enim alterũ eſt. Iam uero dicis eam ſententiam non eſſe paradoxam, quam ne ego quidem paradoxam appellaui, etiam ſi illa tua probatio non ſatis ſit firma, [illegible] congruit cum ſententia ſapientum. non enim congruit,*

gruit,

gruit,ut aperte monſtraui. Quod autem conficis, quoniam paradoxa non eſt, iccirco eam nullam deſiderare rationem,uereor,ut tibi poſſim concede re. Nam,ſi non eſt paradoxa, at eſt controuerſa,et aliquantulum obſcura, & contra illud, quod ore omnium contritum, ac peruulgatum eſt, Principijs obſta. Itaque ex illis ſententijs eſt, quæ,ex doctrina Ariſtotelis, aliqua ratione ſunt fulciendæ. Sed puto eam nulla ratione munitam fuiße, quia nullam rationem haberet,tamquam omnium falſiſsima,ut ſæpe iam dixi. Quod addis,ſi paradoxa eſſet,eam accipere probabilitatem ab auctorita te ſapientum,non ſolum nego a ſapientibus fuiſſe approbatam,ſed etiam,ſi approbata fuiſſet,parum probabilem exiſtimarem, niſi adiunctam haberet rationem. Sig. *Nonne dixiſti hanc aduerſari illi alteri, Principijs obſta?* Ricc. *Quidni dixerim?* Sig. *Atqui quomodo hæ inter ſe pugnare ſententiæ poſſunt, cum non ex eadem artium ambæ officina prodierint?* Ricc. *Declares, quid uelis,ſine commemoratione, ut cum præfatione honoris loquar, Cunni.* Sig. *Facio conſulto,ut faſtidioſiſſimas aures tuas offendam, poſtquam hunc litterarum concurſum tantopere damnas. Sed audi,quæ requiris. Ariſtoteles,ubi loquitur de ſenten tijs ratione aliqua fulciendis,ſententias eas intelligit, quæ* γνῶμαι *dicuntur, quas definit uniuerſalia pronunciata de ijs reb. quæ aguntur in uita, id eſt, de moralibus,non de ijs,quæ tractantur in artibus.*

RICC. *Fortaſſe, dum dicit Ariſtot.* περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσί, καὶ αἱρετὰ, ἢ φευκτά ἐστι πρὸς τὸ πράσσειν, *intelligi poſſunt, quæcumque pertinent ad electionem, & fugam in actionibus humanis, ſiue ſint actiones contemplandi, ſiue morales, & quarum etiam effectio eſt, dummodo eligendæ, uel fugiendæ ſint. Tametſi enim* ἡ θεωρία, ἡ πρᾶξις, ἡ ποίησις *inter ſe aliquo modo diſtinguuntur, ut prima pertineat ad contemplationem ſapientiæ, altera ad actionem prudentiæ, tertia ad effectionem artis operoſæ: tamen* ἡ πρᾶξις *quandoque accipitur in uniuerſum pro qualibet actione humana, aut ſapientiæ, aut prudentiæ, aut artis operoſæ. Itaque in principio Ethicorum nominantur actiones pro effectionibus, ubi legitur,* ὧν δ' εἰσι τέλη τινὰ παρὰ τὰς πράξεις, ἐν τούτοις βελτίω πέφυκε τῶν ἐνεργειῶν τὰ ἔργα. *& in definitione felicitatis ponitur* ἡ πρᾶξις *generatim, quæ pertinet tum ad contemplandum, tum ad agendum, quemadmodum in Rhetoricis* εὐδαιμονία *definitur* εὐπραξία μετὰ ἀρετῆς. *& Cicero ipſe lib. 5. de finib. duplicem actionem commemorat, primum conſiderationem, cognitionemque rerum cœleſtium, & earum, quas à natura occultas, & latentes indagare ratio poteſt: deinde Rerump. adminiſtrationem, aut adminiſtrandi, ſciendique prudentem, temperantem, fortem, & iuſtam rationem, reliquaſque uirtutes, & actiones uirtutibus congruentes, quæ uno uerbo honeſta dicuntur. Iam in definitione ſententiæ actiones fortaſſe*

taſſe generatim intelligendæ ſunt, in quibus omnibus poſſe uerſari ſententia uidetur, dummodo aliquid exprimatur, quod eligendum, aut fugiendum ſit. Nam, tametſi de rebus uniuerſalibus, quarum non eſt electio, uel fuga, non ſunt ſententiæ, ut Rectum curuo contrarium eſſe, tamen, ſi dicatur aliquid, quod pertineat ad electionem, uel fugam, nõ ſolum de uirtutibus moralibus, ut de fortitudine, Fortes fortuna adiuuat, ſed etiam de uirtuti us intelligendi, ut de ſapientia, Nequaquam oportet, quicumque natura uir prudens factus eſt, eum filios ſuos eximie ſapientes inſtruere, Nam præter aliam ignauiam, quam habent, inuidiam ciuium aperiunt infeſtam; & de artibus, ut de arte Medica, Aegri quia non omnes conualeſcunt, non iccirco nulla medicina eſt; & de arte militari, Mars belli communis; & de arte ſutorum, Ne ſutor ultra crepidam; & de alijs ſimiliter; hæc omnia uidentur ſententiæ appellari poſſe. SIG. *Ego ſolis moralibus ſententiæ nomen tribuo. Quamobrem neque ſuperiora Theoremata Antiſthenis, & aliorum philoſophorum à te prolata eiuſmodi ſententiæ ſunt, quia de Phyſicis ferme, non de Ethicis deriuata ſunt: neque Aphoriſmi Hippocratis eodem modo, quia è media medicina petiti ſunt. Quare medicinam non eſſe recentibus morbis adhibendam, cum ex Aphoriſmis ductum ſit, proprie ſententiæ huiuſmodi nomine decorari non poteſt.* RICC. *Ne ego quidem dixi illa ſuperiora Theo-*

rèmata eſſe ſententias: ſed tantum id agebam, ut oſtenderem, aliqua eſſe aliquo modo probabilia, quæ nihilominus ratione egerent, contra quàm tu enunciaſti. Neque illud de medicina recentibus mòrbis non adhibenda, ex Aphoriſmis Hippocratis ductum eſſe tibi aßenſus ſum, quod falſiſſimùm eſſe demònſtraui. Neque fortaſſe, ſi ductum eſſet, nomine ſententiæ priuarem, cum ſit ex ijs, quæ ad electionem, uel fugam uidentur pertinere. Sed, ut tibi dem, ſententiæ nomen aliò trahi non poſſe, quàm ad mores: non tamen dabo, illam ſententiam, quemadmodum in principio Conſolationis prolata eſt, non eſſe moralem. Mihi enim moralis uidetur, nec de eo dubito: quia, licet utatur per tranſlationem è Medicina petitis uocibus, ut etiã illa Ouidij: Sero medicina paratur, &c. tamen & hæc, & illa eſt è Philoſophia morali, quæ profitetur eadem & remedium amoris, & conſolationem doloris, cum & amor; & dolor ſint perturbationes, quas aut lenire, aut tollere pertinet ad moralem. Nam uidemus etiam Ciceronem in Tuſculanis facere medicinam & amori, & dolori: & is liber ſine dubio moralis eſt. SIG. *Quemadmodum huiuſmodi propoſitionem non eſſe ſententiam exiſtimo, ſic illam eße cenſeo, quæ tota moralis eſt: Principijs obſta. cuius Cicero eſſe compos nequiuit, cum eam cuderit non antiquus medicus, ſed Ouidius Poeta, minor multo natu; quàm Cicero.* RICC. *Quaſi uero hæc ſententia non ſit ita naturaliter*

raliter in mente omnium impreſſa, ut inter illa, quæ Ariſt. appellat δεδημοσιευμένα, *cenſeri non poſſit, & non etiam cognoſci potuerit ſub alijs uerbis ante tempus Ouidij ex præceptis medicorum, ut ex Aphoriſmis Hippocratis, quorum undeuigeſimus in libro ſecundo eſt; In principijs morborum, ſiquid mouendum uidetur, moue, quem in ſecunda quoque diſceptatione mea citaui. Sed expecto, quid tibi uelis.* SIG. *Hoc mihi uolo, has propoſitiones aut non eiuſdem generis eſſe: aut, ſi ſint, inter ſe non niſi in ſpeciem diſcrepare. Quo conſtituto efficitur, ut una alteram haud redigat controuerſam: & propterea prior illa ne hac quidem de cauſſa fuerit aliqua ratione corroboranda.* RICC. *Quattuor concluſione tua complexus es, quæ haud quaquam, ut uerum fatear, mihi probantur. Primum huiuſmodi propoſitiones non eſſe eiuſdem generis, cum illa non moralis, hæc moralis ſit, quas ego cenſeo eiuſdem generis, & morales: deinde, ſi ſint, inter ſe non niſi in ſpeciem diſcrepare, quas ego re uera diſcrepare exiſtimo, cum una uetet, altera requirat in principijs morborum remedia: præterea unam non reddere alteram controuerſam, quod ego fieri puto, cum altera alteri aduerſetur: poſtremo priorem illam non fuiſſe aliqua ratione corroborandam, quam ego iudico non minus, immo uero etiam magis muniri ratione debuiſſe, quàm poſterior ab Ouidio munita fuerit in hũc modum: Principijs obſta, ſero medicina paratur,*

Cum

Cum mala per longas conualuere moras.

SIG. *Sentias, quidquid uelis: quoniam ſuo cuique iudicio eſt utendum. Miratus quoque ſum ualde, quòd & in primo iudicio ſcripſeris, & in ſecundo repetiueris, Ciceronem in quarta Tuſc. nonnullam Chryſippeæ ſententiæ rationem ſignificaſſe, ita dicentem; Quod uetat Chryſippus, ad recētes quaſi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, naturæque uim attulimus. Caue tamen ita exiſtimes: neque enim hoc, Naturæ uim attulimus, eſt ratio, ſed declaratio eius, quod dixit: Id nos fecimus, nempe naturæ uim afferendo, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet.*

RICC. *Scripſi, & repetiui Ciceronem non attuliſſe, ſed ſignificaſſe, & innuiſſe, non ſimpliciter rationem, ſed nonnullam rationem Chryſippeæ ſententiæ. Verba primi mei iudicij ſunt; Cicero nonnullam rationem Chryſippeæ ſententiæ ſignificauit, dicens, ſe naturæ uim attuliſſe, atque innuens id Chryſippum uetuiße, quia natura id refugeret. Verba ſecundi; Notaui melius feciſſe Ciceronem in 4. Tuſcu. qui nonnullam Chryſippeæ ſententiæ rationem ſignificauit. Nonne ſatis caute locutus ſum? Cur autem non poteſt uideri nonnulla ratio Chryſippeæ ſententiæ, ut intelligatur, recētes quaſi tumores animi non eſſe remedijs inſtigandos, quia natura eam inſtigationem refugiat, etiam ſi requirere aliquam delinitionem uideatur?* SIG. *Tu ipſe conſidera: uix enim ego poſſum ſentire, quod tu*

ſentis.

ſentis. Quod attinet ad Hippocratem, & Platonē, quos teſtatus es melius ſe geſſiſſe, cum rationem attulerint ſententiarum ſuarum, quàm ſe geſſerit hic auctor, qui ſententiam ſuam non confirmauit; ſi rationem Hippocratis reddidit, officio ſuo functus eſt, nempe medici, & quidem cum de medicina præciperet. RICC. *Quaſi uero non etiam ſcriptor Conſolationis debeat reddere rationem earum rerum, quas ſcribit.* SIG. *Ne me interpelles.* RICC. *Perge, ut lubet.* SIG. *At orator, qui propoſitionem illam per ſimilitudinem adhibet, quoniam accepit ut probatam, propterea non tenetur eius ſubijcere rationem, ut Medicus.* RICC. *Nequeo ſatis intelligere, quid ſentias. Nam, ut etiam notaui in quarta diſceptatione mea, modo putas auctorem Conſolationis fuiſſe philoſophum, & ſapientem, modo oratorem. Nempe Philoſophum in tuo commentario fragmentorum, & ſapientem in prima tua oratione, ubi legitur; Vt ſapiens remedium à philoſophia petiuit; ac cōtractis in unum omnium, qui de luctu minuendo ſcripſerant, commentarijs, Conſolationem confecit. Oratorem uero non ſolum in ſecunda oratione tua, ubi dicis eum in Conſolatione tamquam oratorem in foro cauſſam cum inſigni aliqua orationis amplitudine egiſſe: uerum etiam in hoc loco ſecundæ tuæ accuſationis. Sed, ut fuerit quoque orator, cur non debebat (malo enim ſic dicere, quàm tenebatur) eius ſententiæ ſubijcere rationem, quæ eſſet tam controuerſa?*

uerſa? non enim ſpectare debet orator, quid ſibi probetur, ſed quid probari alijs poſſit: propterea quòd τὸ πιθανὸν τινὶ πιθανόν ἐστι, ὅλης οὔσης πρὸς ἄλλους τῆς πραγματείας τῆς περὶ τὴν ῥητορικήν. *Verum eſt igitur, quod ſcripſi, melius feciſſe Hippocratem. Sed, quid de Platone dicis?* SIG. *Si Plato rationem aliquam tibi uiſus eſt attuliſſe, pro arbitrio, & diſputationis ſuæ commodo fecit.* RICC. *Egregie.* SIG. *Neque enim ille ſapientũ, ut hic, nomen, auctoritatemq. prætẽdit.* RICC. *Ergo nomen ſapientum non prætendit, ſi ut philoſophus ſe conſolatus eſt, & ut ſapiens remedium a philoſophia petiuit?* SIG. *Ne attendas id, quod alibi dixi, ſed quod hic. Quid plura? Si ille rationem protulit, tanto illam probabiliorem effecit, ut huic poſt ſatis fuerit dicere, Vetant ſapientes; quemadmodum cum in primo de Diuinatione dixit: A natura deorum, ut doctiſſimis, ſapientiſſimiſq. placuit, hauſtos animos, & delibatos habemus.* RICC. *Satis probaui aliàs, non eſſe eandem ſententiam Platonis, & auctoris Conſolationis, &, ſi eſſet, non tamen putarem, quia ille ſua ratione illam probabiliorem reddidiſſet, iccirco licuiſſe eam ſine ſubiectione rationis proferre, quaſi omnibus notum eſſet, quidquid ipſe Plato ſcripſiſſet, uel confugiendum eſſet ad Platonem, ſi quis ſententiæ rationem requireret: ſed exiſtimarem, capiendum eſſe exemplum ex ipſo Platone, ut eius ueſtigijs inſiſteret, quicumque uti huiuſmodi ſen-*

tentia uellet, & non niſi cum additione rationis uteretur. Illa autem ſententia libri primi de Diui natione per ſe credibilior erat, quàm hæc Conſolationis. SIG. *Conſideraſti quoque Plutarchi, & Senecæ locum. Sed hi nulla parte te adiuuant. nam ille, ut hic, peritiſſimos medicos nominauit; Seneca uero, aut ſiquis eſt alius, ſi modo rationem ullam eius ſignificauit, iure quodammodo fecit, quia ſapientum teſtimonio abſtinuit.* RICC. *Non ſolum Plutarchus peritiſſimos medicos nominauit: ſed etiam in ſua enthymematica ſententia rationem incluſit, ut alibi monſtraui. Seneca uero, cũ rationem ſententiæ ſuæ ſignificauerit, fecit id, una cum Plutarcho, quod tu factum fuiſſe negaſti in ſecunda oratione tua ad hunc modum; Neque Plutarchus, neque Seneca in conſolationibus ſuis hanc culpam exhorruerunt, uerum ambo in exordijs eandem ſententiam nulla ratione fultam adhibuerunt.* SIG. *Procedamus longius, & hæc minora relinquamus. Quid eſt, quæſo, quòd dicas, hanc propoſitionem neque probabilem eſſe, neque ueram, neque Hippocratis, neque Platonis, neque Chryſippi ſatis auctoritate firmatam, ſi paullo ante dixiſti, Non negaui hanc propoſitionem probabilem eſſe?* RICC. *Meminiſſe debes, duas eſſe refellendi rationes, quas non ſolum Hermogenes, ſed etiam Ammonius in Categorias Ariſtotelis commemorat, alteram per ἀντιπαράςασιν, quam nonnulli appellant obſiſtentiam, cum, quod obijcitur,*

admit-

admittentes oſtendimus id nobis non officere: alteram per ἔνστασιν, quam uocant inſtantiam, cum aduerſario nihil concedimus, ſed totum ſubuertimus. Primum uſus ſum obſiſtentia, ut non negarem eā propoſitionem eſſe probabilem, quod tu aiebas, ſed dixerim, imperfectam eſſe, quia ſuam nō habebat adiunctam rationem: deinde inſtantia, ut probarem ipſam nec probabilem, nec ueram eſſe, nec illorum quidem, qui à te citati ſunt, ſatis auctoritate firmatam. SIG. *Quod ais, tres eſſe Medicinæ partes, quarum prima uictus ratione, altera manu, tertia pharmacis medetur, itaque falſum eſſe illud, ut generatim dicatur, recentibus morbis medicinam non eſſe adhibendam, ſi non tertiam, aut ſecundam, at ſaltem primam; hæc ſcilicet medicus curat: orator uero de exacta ueritate huius propoſitionis non laborat, neque, quemadmodum intelligenda ſit, quærit; ſatiſq. habet ſcire, ita ſapientib. placuiſſe. Itaque non erat, quòd tu propterea conſuleres medicos: neque enim hoc dixit, Quāquam recentibus morbis medicina nō eſt adhibenda, ſed, Quamquam uetant ſapientes recentibus morbis medicinam adhibere. Quomodo uero intelligenda ſit, ſiquis ſcire auebit, medicos ipſos, ut te quoque uideo feciſſe, adibit.* RICC. *Rurſus auctorē Conſolationis nominas oratorem, quem alibi philoſophum nominaſti; qui ſi non quærat, quomodo id, quod dicit, intelligendum ſit, non'ne ſtultus exiſtimabitur?* SIG. *At, ut dixi, ſatis habet ſcire, ita*

ſapien-

ſapientibus placuiſſe. Ricc. *Quibus ſapientib. cum id non niſi inſipientibus placere potuerit? Tu uero, qui profiteris te nouiße ſingularē, ut dicis, ingenij mei ubertatem, ac eximiam ſcientiæ copiam, næ male exiſtimas de ingenio, ac ſciētia mea, cum de re tam nota me putes medicos adiuiſſe, idq. non ſemel mihi exprobres. Quis enim eſt, qui, cum aliquantiſper litteras deguſtauerit, ignoret id, quod uel Ambroſius Calepinus litteris conſignauit, tres eſſe Medicinæ partes? quis non intelligit ſemper earum aliquam in principijs morborum conuenire? Cur tibi licuit citare Hippocratem, & non mihi? Cur egomet intelligere non potui & Hippocratem, & Platonem, & alios ſcriptores abs te citatos non probibuiſſe ſimpliciter medicinam, in principijs morborum, ſed tantum pharmaceuticā? quid negotij erat intelligere illam ſententiā Conſolationis abſurdam eße? Hæccine erat tanta difficultas, ut conſulendi eſſe medici uiderētur? Sed, quod me feciſſe quodammodo uitio uertis, ſi te facere dignum iudicaſſes, fortaſſe te tam facile perſuaſurum eße non putaſses, illam inanem ſententiam ipſius Hippocratis, Platonis, & aliorum auctoritate firmari. Fortaſſe igitur tu magis, quàm ego, auxilio medicorum indigebas. Quòd ſi, ut obijcis, medicos conſuluißem, & adiuiſſem, non'ne fecißem id, quod ars docet noſtra, ut à peritis diſcerem, quod eſſe proprium artis noſtræ minime uideretur? Reuoca quæſo in memoriam, quæ Cicero*

ſub

ſub perſona Craſſi dixit lib. 1. de Orat. ſi, quæ cæteris in artib. aut ſtudijs ſita ſunt, orator ignoret, tantumq. ea teneat, quæ ſint in diſceptationib. aut in uſu forenſi, tamen his de reb. ipſis, ſi ſit dicendum, eum cognoſcere debere ab ijs, qui tenent, quæ ſint in quaque re; ſi de re militari dicendum fuiſſet Sulpicio, eum quærere debuiſſe a C. Mario affine ſuo; ſin de iure ciuili, communicaturum fuiſſe cum Q. Scæuola; ſin de philoſophia, cum Sex. Pompeio; atque ſi conſtat inter doctos, hominem ignarum Aſtrologiæ Aratum de cælo, ſtelliſq. dixiſſe, ſi de rebus ruſticis hominem ab agro remotiſſimum Nicandrum Colophonium poetica quadam facultate, non ruſtica ſcripſiſſe; nihil eſſe impedimenti, cur non orator quoque de rebus ijs dicat, quas ad certam cauſſam, tempuſq. cognoſcit. Mittamus tamen hoc, quod utcumque fuerit, parum intereſt: & inter nos fixum maneat illud, ſententiam poſitam in principio Conſolationis non ſolum imperfectā eſſe, quod, quamuis probabilis eſſet, tamen ſuam non haberet adiunctam rationem, uerum etiam eiuſmodi, ut nec probabilis, nec uera cenſenda eſſe uideatur. SIG. *Iam dixi, oratorem id minime curare oportere. Verum ueniamus ad ſenectutem.* RICC. *Tu citius, quàm ego: quoniam citius ortus es.* SIG. *Quaſi uero neſcias minores natu poſſe etiam citius, & maiores natu tardius ſeneſcere, prout illis* κακογηρία, *his* εὐγηρία *contigerit. Vt enim* κακογηρία γηράσκει ταχὺ, καὶ λυπηρῶς: *ſic* εὐ-

γηρία

γηρία habet βραδυτὴν γήρως, καὶ ἀλυπίαν. Sed per iocum me à propoſito abducis. Veniamus igitur ad materiam ſenectutis, et breuius, ſi placet, agamus.
RICC. *Si tibi, etiam mihi.*

PRO SECVNDA CONIECTVRA, quòd in Catone, ubi laudata eſt ſenectus, nulla adhibita ſit excuſatio ſenectutis in Conſolatione uituperatæ.

SIGONIVS.

ARGVMENTATVS *es, ſi Cicero hunc librum de Conſolatione ſcripſiſſet, et ſenectutem tantopere uituperaſſet, cũ ea de re poſt in Catone ſe excuſaturum fuiſſe, ubi ipſam ſenectutem à quattuor illis accuſationibus defendit, quòd auocet a rebus gerendis, quòd corpus faciat infirmum, quòd priuet omnibus uoluptatibus, quòd haud procul abſit à morte: &, quamuis in Dialogo Ciceronis, qui ſenectutem ab illis quattuor uitijs uindicauit, non Cicero fuerit, ſed Cato imitatione expreſſus, centum ante annos natus, quàm Cicero; tamen potuiſſe eum in proœmio ſe excuſare, quemadmodum in proœmio libri primi de Orat. ſe excuſauit, de Commentariolis ſuis inchoatis, atque rudibus, qui*

ſibi puero, aut adoleſcenti exciderant. Illud tamen etiam, atque etiam attende, ne iſtud quidem, quod ais, ipſum efficere in proœmio potuiſſe. RICC. *Dixi Ciceronem potuiſſe ſe excuſare non ſolum in proœmio, ſed etiam in ipſo Dialogo ſub perſona Catonis, non nominatim, ſed in uniuerſum, ut diceret, in Conſolationibus ubi agitur de cōdicionibus ætatum, ſolere ſenectutem uituperari, ſed id fieri, ut cauſſæ ſeruiatur, uere autem omni laude eſſe dignam; ut ſcilicet prudens Lector, qui & Conſolationem, & illum Dialogum eſſe Ciceronis non ignoraret, quò illa uerba tenderent, poſſet animo comprehendere. Sed, quod ais ipſum efficere, quod dixi, in proœmio non potuiſſe, miror te ſic loqui. Nam, ſi licet in proœmijs* περὶ τῶν ἔξω τοῦ πράγματος *ſcribere, cur non licuerit* τὰ περὶ τὰ πράγματος *attingere, atque aliquem locum repurgare, qui dignus eſſe purgatione exiſtimetur? Tametſi enim ſcripſit Cicero, ſeparatum proœmium uitioſum eſſe, & connexum ita principium conſequenti orationi eſſe oportere, ut non tamquam citharædi proœmium affictum aliquod, ſed cohærens cum omni corpore membrum eſſe uideatur: tamen, cum id intelligendum ſit potiſſimum de cauſſis deliberatiuis, & iudicialibus,* τῷ προαύλιῳ, *quod fit* ἐν αὐλήσει, *& eſt ſeparatum à legitimo cantu, non ſolum ſimile eßе poteſt* τὸ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοίμιον, παράδειγμα δὲ τὸ τῆς ἑλένης προοίμιον: *uerum etiam proœmia hiſtoriarum, ut Salluſtij in*

coniu-

coniuratione Catilinæ,& in bello Iugurthino, ac quæſtionum infinitarum,ut Ciceronis in prima Tuſculana,& in alijs. Quoniam igitur proœmia in huiuſmodi quæſtionibus poſſunt eſſe ſeparata,iccirco uolumen habebat Cicero proœmiorum, ex quo ſæpe eligebat,cum aliquod σύγγραμμα inſtituerat. unde factum eſt, ut in libro de gloria poſuerit idem proœmium, quod in Academico tertio,quòd non meminiſſet,ſe illo abuſum eſſe, ideoque cum agnouiſſet erratum ſuum, ſtatim nouum proœmium exarauerit,& Attico miſerit, ut uetus deſecaret, nouum agglutinaret, quemadmodum ſcriptum eſt ad ipſum Att. Quod ſi admittuntur quandoque proœmia ſeparata,cur fieri proœmium non poteſt,in quo res aliqua excuſetur? SIG.*Dicam,ſi attenderis.Si dedita opera primum uituperatio ſenectutis, deinde laudatio conſcripta eſſet, tunc in proœmio fieri purgatio debuiſſet, quia liber libro, argumentum argumento obiectum eſſet,quemadmodum factum eſt, cum Gabinius aliàs à Cicerone oppugnatus ab eodem defenſus eſt. Sed,quoniam in Conſolatione inter ærumnas humanas obiter etiam ſenectutis incommoda relata ſunt,in Catone uero de induſtria ſenectus per Catonem à quattuor illis uulgatis criminibus liberata eſt,ideo non debuit fieri in proœmio purgatio.* RICC.*Vide,quam legem proœmijs imponas,quæ, ut oſtendi, in talibus quæſtionibus prorſus libera eſſe poſſunt; & tamen per te,& nouam iſtam do-*

ctrinam tuam uitioſa ſint, ſi ullam contineant excuſationem, niſi liber libro, argumentum argumento obijciatur. Quod quale ſit, diligentius conſiderabis. Nam, licet liber libro, argumentum argumento non prorſus opponatur, tamen aliquid, quod ſit in uno, & eſt diuerſum ab eo, quod ſit in altero, poteſt legitimè excuſari; vt in oratore ad Brutum ſic; Ego idem, qui in illo ſermone noſtro, qui eſt expoſitus in Bruto, multum tribuerim Latinis, uel ut hortarer alios, uel quòd amarem meos, recordor longe omnibus unum anteferre Demoſthenem. & in libro de Fato ſic; Quod in alijs libris feci, qui ſunt de natura Deorum, itemque in ijs, quos de diuinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quò facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile uideretur; in hac diſputatione de Fato caſus quidam, ne facerem, impediuit. SIG. *Quid? quòd illa excuſatio non fuit neceſſaria, quia accuſatio, quæ adhibetur in Conſolatione, non repugnauit defenſioni, quæ poſt ſuſcepta eſt in Catone?*
RICC. *Ain tandem, non repugnauit? profectò, ſi repugnare, eſt aduerſari, obſiſtere, contra pugnare, neſcio quibus technis perſuadere te poſſe exiſtimes, alteram diſputationem, in qua ſenectus uituperatur, accuſatur, & miſera, atque infortunata oſtenditur, non repugnare alteri, in qua ſenes laudantur, defenduntur, & non miſeri, nec infortunati oſtenduntur. de quo quia in diſceptationibus*
meis

meis plura dixi, quàm quæ hic repeti debeant, nihil mihi aliud addendum arbitror, niſi me id, ut alia, litterarum ſtudioſis iudicandum relinquere. SIG. *Quæſiuiſti, quo ego tandem modo probaturus ſim, Ciceronem in Conſolatione ſua tanta ſenectutis incommoda perſecutum eſſe, cũ id haud aliunde appareat, & Plinius cum ceteras ætates ærumnoſas afferret, unam tamen hanc ſenilẽ omiſerit. Ergo, niſi probauero ſingula, quæ ſunt in hoc libro, fuiſſe in Conſolatione Ciceronis, cauſſa cecidero? ſi probaro, tum demum ineptæ reus imitationis ero?* RICC. *Cur tibi potius uis credi, ſenectutem in Conſolatione uituperatam eſſe affirmanti ſine ulla probatione, quàm mihi neganti? Id quod licet probares, ob alia tamen multa non tu ineptæ reus imitationis per me eſſes, cuius nunquam me eſſe accuſatorem profeßus ſum: ſed ab illis, qui tam multas & rerum, & uerborum ſordes Ciceroni tribuunt, per me Cicero ex inſtituto meo defenderetur.* SIG. *Nonne ſatis id tibi argumenti uidetur, quòd Plato in Axiocho, cum item de contemnenda morte diſſereret, ætatum, ut hic, ſingularum miſerias perſequens, ſummas ipſius quæque ingraueſcentis ærumnas expoſuit. quas Plinius non attigit, ne in re clariſſima laboraret.* RICC. *Modo nominaſti Platonem in Axiocho, modo Aeſchinem. Sed id nihil ad rem. Dico autem non ualere argumentum, quia in Axiocho ſenectutis ærumnæ expoſitæ ſunt, etiam id factum*

eſſe in Conſ. Ciceronis, cum aliqua ſenectus bona eſſe poſſit, qualis illa, quam Ariſt. inter partes felicitatis εὐγηρίαν appellat; & non omnis ſenectus ſit mala, quod tamen in iſta Conſolatione conſolationis indigente, tanquam certiſſimum ponitur. Quæ uera cauſſa fuit, quamobrem Plinius, ubi miſerias hominum recenſuit, nullam ſenectutis habuerit mentionem, & non ea, quam tu affers, quia in re clariſſima ſibi non eſſe laborandum exiſtimauerit. Cum enim alias quoque res clariſſimas narrauerit, ne hunc quoque prætermiſiſſet, quia clariſſima eſſet: ſed prætermiſit, quia ſenectutem per ſe non eſſe miſeram iudicauit. SIG. *Sentias tu, quidquid uelis: ego quoque idem faciam.*

PRO TERTIA CONIECTVRA, quòd multa ſint non ſolum aliunde ſumpta, & paulliſper immutata, ſed etiam plerunq. deprauata.

SED *expone deinceps, quæ tu tertio loco poſuiſti.* RICC. *Is eſt, quòd multa, ut hiſtoriæ, fabulæ, uerſus, ſententiæ, ſint aliunde ſumpta, & paulliſper immutata cum magna plerunque deprauatione.* SIG. *Tu Ciceronẽ multa repetiiſſe ſcripſiſti: ego pluribus allatis exemplis monſtraui, id rectiſſime factum eſſe.* RICC. *At*

qui non fuit illis tam multis opus: neque enim ego hoc negaui. SIG. *Addidiſti multa fuiße leuiter immutata: at docui quoque, eundem alijs quoque in libris commutata multa repetijſſe, &, cũ idem argumentum fuerit Conſolationis, & Tuſculanæ, recte eadem utrobique, uel paullulum uariata tractaſſe.* RICC. *Vide, utrum hoc ſit contra me, qui magis locorum ſpectaui deprauationem, an potius contra te, cum repugnet illi admirabili ingenij amplitudini, ac ſingulari uerborum copiæ, quam uel ipſo Cicerone ab inferis excitato expreßiſti, ut, quod factitare Demoſthenem obſeruaſſet, qui, ut tu locutus es, eademmet uerba, quoties apte caderent, adhiberet, id fere nunquam ipſe faceret; quod & res miram ingenij tenuitatem, & nimiã uerborum inopiam indicaret. quam repugnantiam aliàs notaui.* SIG. *Habeo, quid reſpondeam, ſi uellim, ſed contendiſti in Conſ. multa eſse deprauata.* RICC. *Hoc ſcilicet robur eſt argumentationis meæ.* SIG. *Velim, ut ea perpendamus. Huic autem quæſtioni ſatisfacere cumulate non poſsum, niſi hoc mihi maxime neceſsarium præſidium comparem, ut Ciceronem iiſdem, quæ tu infers, criminibus ſe obſtrinxiſse in alijs quoque ſuis monumentis oſtendam, atque id ualere præcipue ad partum hunc legitimum oſtendendum exiſtimem. Etenim ſiquis aliquem alicuius filium eſse iccirco abnueret, quòd pater integer eſset, filius autem fortaſse aut pedum, aut oculorum uitio laboraret; ego, ſi*

ad me eiuſmodi cauſa delata eſset, cum alia, tum hoc in primis afferrem, eundem patrem alios quoque eiuſmodi aut claudos, aut luſcioſos liberos ſuſcepiße, meque putarem præclare operam meam nauaſſe. RICC. *Dij immortales, quàm ſæuum eſt telum hoc, quod tibi paras, ut non poſſis ſcriptorem eum, quem tu ipſe incognitum appellas, id eſt, ſimulatum Ciceronem ſanare, niſi uerum ferias Ciceronem. Quod faciunt quoque tecum quidam amici tui, uiri clariſſimi, ut adulterinum Tullium plus nimio, atque indigne defendentes, germanum accuſent. Ego igitur, qui in hominem incognitum inuehor, & cognitum defendo, accuſator nominabor: uos uero, qui cognitum accuſatis, & incognito (ſi non uobis, at certe alijs) tantopere fauetis, eritis defenſores? Sed ueniamus ad deprauata.* SIG. *Expone iſta.* RICC. *Ordiar ab hiſtorijs. In Tuſc. ſcriptum eſt, Decium patrem pugnaſſe cum Latinis, filium cum Etruſcis, nepotem cum Pyrrho: in Conſol. Decios pugnaße cum Latinis, cum pater tantummodo decertarit.* SIG. *Sic alibi quoque locutus eſt, ut docui, Cicero, ut cum de Deciorum patris, & filij deuotione diſſereret, Latinos tantummodo nominarit.* RICC. *At operæ pretium eſt uidere, quomodo docueris: atque interim cauebimus, ne tuo telo Ciceronem offendas.* SIG. *In libro ſecundo de Finib. ſcripſit ſic; P. Decius, cum ſe deuoueret, &, equo admiſſo, in mediã aciem Latinorum irrueret, aliquid de uoluptatib.*

ſuis

ſuis cogitabat? & paullo poſt; Quod quidẽ eius factum niſi eſſet iure laudatum: non eſſet imitatus quarto conſulatu ſuo filius; neque porro ex eo natus, cum Pyrrho bellum gerens, cecidiſſet in prœlio, ſeq. è continenti genere tertiam uictimam Reip. præbuiſſet. R i c c. *Non eſt locus ſimilis. Nam Cicero de Finib. tres Decios tripliciter indicauit; patrem, Cum ſe deuoueret, & equo admiſſo in mediam aciem Latinorum irrueret: filium, Quarto conſulatu ſuo: nepotem, Cum Pyrrho bellum gerens. Simulator uero ſimpliciter dixit, Decios cum Latinis pro patria dimicantes ſeſe hoſtium telis obieciſſe. Itaque Cicero non errauit: ſimulator uero errauit. Videſ'ne telum tuum contra Ciceronem nihil adhuc ualere?* S i g. *In Tuſc. ubi tres deuotiones, patris, filij, nepotis expreſſit, tria etiam nomina hoſtium protulit, Latinorum, Etruſcorum, Pyrrhi: cum tamen commodius pro Etruſcis Gallos reponere potuiſſet, quòd Decius filius cum ſolis Gallis, Liuio teſte, conflixerit.* R i c c. *Tametſi Decius filius in Etruria, nõ cum Etruſcis, ſed cum Gallis pugnauit: tamen, quia in Etruria illud bellum Samnites, Galli, Etruſci, & Vmbri contra Romanos communibus armis gerebant, non eſt mirum, ſi Cicero pro Gallis nominauit Etruſcos, apud quos illud ipſum bellum gerebatur.* S i g. *Scite. ergo, quoniam Cæſar pugnauit cum Pompeio in Macedonia, pugnauit cũ Macedonib.* R i c c. *Non eſt ſimile. Nam Galli, &*

Etruſci arma inter ſe coniunxerunt, & bellandi ſocietate coniuncti erant, ut quodammodo, quod contra illos gerebatur, etiam contra hos geri uideretur. Nam ſic Pompeius, & Macedones. Quæramus igitur, quomodo Ciceronem excuſemus, nõ quomodo reprehendamus. Addidiſti in orationibus tuis, fortaße eſſe mendum librarij, ut legi debeat Decius, non Decij. Ego reſpondi, ſequentia uerba non congruere, ſi legatur in hunc modum; Decius cum Latinis pro patria dimicantes ſeſe hoſtium telis obijciebant. SIG. *Si hoc non placet, exerceo rurſus telum meum, ac dico, non procedere: Hic liber mendoſam aliquam habet hiſtoriam: ergo non eſt Ciceronis: quia nullus eſt ferme liber Ciceronis, in quo non eiuſmodi aliquid hæreat labis. exempli gratia, ut in ſecunda mea oratione dixi, duo duces cum Antiocho Rege Syriæ depugnarunt, Acilius Glabrio, qui Catone uiro conſulari legato aſcito ipſum è Græcia depulit, & L. Scipio, qui fratre Africano in Aſia debellauit, teſte Liuio, & ceteris ſine ulla controuerſia omnib. Cicero uero in libro de ſenectute Catonem Tribunũ militarem cum Glabrione fuiſſe, pro Murena in Aſia cum L. Scipione uerſatum eße prodidit, nimirum eo deceptus, quòd Scipio Glabrionem exceperit* RICC. *Quid eſt accuſare, ſi hoc nõ eſt? At, quemadmodum non uidetur ualere hoc argumentum; Hic liber mendoſam ex aliqua parte habet hiſtoriam, ergo non eſt Ciceronis: ita hoc ualere poteſt;*

teſt; Hic liber non unam aliquam, ſed multas habet mendoſas hiſtorias, & non ſolum hiſtorias mēdoſas, ſed multa alia & in reb. & in uerbis uitiorum genera, ergo Ciceronis exiſtimari non debet. SIG. *Dum auctor Conſolationis Scipionem dixit occubuiße in Hiſpania, cum Scipiones dicere debuiſſet, quis non uidet id aut librarij uitio, aut pro Ciceronis arbitrio factum? neque enim, quia Scipionem dixit, alterum excluſit.* RICC. *Prætextus librarij multos adiuuat. Quodnam autem arbitrium fuit Ciceronis, ut, cum diligens fuerit lib. 3. Officiorum, & in Catone, in Scipionib. commemorandis, quos fortes uiros appellauit, & dixit iter Pœnis, uel corporibus ſuis obſtruere uoluiſſe: in Conſ. autem ſua ea uſus ſit negligentia, ut unū Scipionem nominauerit?* SIG. *Si Gracchum præterijt, qui in Tuſc. nominatus eſt, fortem uirum in uno præterire, in altero nominare, non eſt mendoſam hiſtoriam adhibere.* RICC. *Non dixi eſſe mendoſam hiſtoriam adhibere: ſed negligentiam. Verba mea ſunt: Gracchum præterijt non ſine negligentia.* SIG. *Si hæc tu hunc ſcribentem audire non potes, quo tandem modo Liuium æquo legere animo potes? qui libro 34. L. Valerium Tribunum pl. ſic contra Catonem loquentem induxit, ut ſe Origines eius aduerſus eum reuoluturum eſſe denunciarit; quas conſtat Catonem non ſolum ante conſulatum non confeciſſe, ſed uix poſt annos 40. id eſt, extrema iam ætate inſtituiſſe. quod & Pro-*

bus

bus in uita prodidit, & ipſe apud Ciceronem de ſe paucis ante mortem diebus teſtatus eſt, inquiẽs: Septimus mihi Originum liber eſt in manibus. Quod uitium ſi imitator hic concepiſſet, quas tu bone Deus ſtrages huius libelli etiam me proban te feciſſes? Ricc. *Longe fuge: telo ſuo hic petit omnes. Ergo non ſatis erat Ciceronem accuſare, ſi non etiam Liuium accuſares? Verum de eo poſt uiderimus. Colligo tamen ex iſta tua accuſatione, quòd Ciceronem auctorem Conſolationis non nominas, ſed imitatorem quendam.* Sig. *Iam ueniamus ad fabulas.* Ricc. *Veniamus. Et, quoniam nihil fere noui attuliſti: ſed tantum expreſſiſti, te non deteriora putare, quæ ego praua, & deprauata eſſe oſtendi: ſat habebo dicere, me longe à te diſcrepare, quòd melius in Tuſc. quàm in Conſ. dictum eſſe arbitrer. In Tuſc. ſic; Fertur etiam de Sileno fabella quædam, qui, cum à Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur, docuiſſe Regem, non naſci hominem longe optimum eſſe, proximum autem quàmprimum mori. In Conſ. Sileni quæ fertur fabula idem certe confirmat, qui captus à Mida miſſionem doctrina redemit. docuit autem Regem, nunquam naſci optimum eſſe, ſed celeritate mortis proximi accedere. Nolo hic repetere probationem meam, quæ omnib. eſt in promptu, ex qua illud melius, hoc deterius eſſe, ſatis apparere poteſt. Tantum dico, cum conatus ſis oſtendere doctrinam quandoque accipi pro*

ipſo docendi actu, ſumptis auctoritatibus à Mario Nizolio, quas ego quoque uideram, me illud potiſſimum ſpectaſſe inter cetera, quòd pro uerbo Docuiſſe poſitæ ſint duæ uoces, Doctrina, & Docuit. quòd meliuſne, an peius ſit, alij iudicabunt. SIG. *Alias perſequere fabulas.* RICC. *In Tuſc. Simile eſt quiddam in Conſolatione Crantoris. ait enim Terinæum quendam Eliſium, cum grauiter filij mortem mæreret, ueniſſe in Pſychomantium quærentem, quæ fuiſſet tantæ calamitatis cauſſa: huic in tabellis tres huiuſmodi uerſiculos datos;*

Ignaris homines in uita mentib. errant.
Euthymus potitur fatorum munere læto.
Sic fuit utilius finiri ipſiq. tibiq.

In Conſ. ſed Crantor noſter patri filij mortem ægerrimè ferenti reſponſum ait datum in Pſychomantio filio ſuo bene, beateq. eſſe, utiliuſq. futurũ fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione fatis conceſſiſſet. Hoc quidem dixi breuius eſſe, ſed non elegantius, ubi etiam de Latinitate, nedum elegantia dubitatur: illud uero illuſtrius, dilucidius, ſuauius. SIG. *Ego, & ſi de re leui hæc eſt diſſenſio, tamen quæro, quod tu nomines elegans? ſanè, ut expoſuiſti, illuſtre, dilucidum, ſuaue. & quidem elegantiã Rhetores nominant, cum Latine, & plane dicimus. Latine, id eſt, emendare: plane, id eſt, dilucide, atque aperte, quod uerbis præcipue conſequimur uſitatis, & proprijs.* RICC. *Non ignoro hoc eſſe præceptum auctoris ad Herennium lib. 4. ubi*

ſic legitur: Elegantia eſt, quæ facit, ut unumquodque pure, & aperte dici uideatur. Hæc diſtribuitur in Latinitatem, & Explanationem. Latinitas eſt, quæ ſermonem purum conſeruat ab omni uitio remotum. Explanatio eſt, quæ reddit apertam, & dilucidam orationem. Ea comparatur duab. reb. uſitatis uerbis, & proprijs. Hæc ille. qui fortaſſe tecum ſignificantius nominaßet puritatem, quàm Latinitatem, ut præceptum commune eßet omnibus linguis, & non uni Latinæ, ac neceſſe non eſſet noua uocabula ſubintelligere, Hebraicitatē, Græcitatem, & alia ſimiliter. Demetrius uero Phalereus latius declarat γλαφυρὸν λόγον, *id eſt, elegantem, ornatam, ac omni uetuſtate refertam orationē, ac complectitur non ſolum uſitata, & propria, ſed etiam nitida, & omnibus modis uenuſta.* SIG. *Cur elegantior uox eſt fabella, quàm fabula?*
RICC. *Quia nitidior.* SIG. *At non quæ nitidiora, ſed quæ uſitatiora, & elegantiæ pleniora.*
RICC. *Spectaui Phalereum, non iſtum tuum auctorem ad Herennium. Sed, quando me ad eius doctrinam uocas, ne ab eo quidem diſcedam. Nonne primum genus elegantiæ requirit Latinitatem?*
SIG. *Sane.* RICC. *At minus Latine locutus eſt: dixit enim Filio ſuo, pro eius.* SIG. *Quæſtio eſt hæc ſatis inter Grammaticos agitata. uerum ego unum tantum aduerſus te reuoluam exēplum Ciceronis ad Att. Cōſules flagrant infamia, quòd C. Memmius candidatus pactionem in ſenatu recitauit,*

citauit, quam ipſe ſuus competitor Domitius cum conſulib. feciſſet. Etenim, ſi tu ipſe exponis, Suus, id eſt, proprius ſui ipſius C. Memmij competitor, cur non item hic potes interpretari, Filio ſuo, bene, beateq. eſſe, Suo, id eſt, proprio ſui ipſius patris? RICC. *Quia, cum pronomen Suus ſua ſuum, cum ſuppoſito debeat conuenire, ſuppoſitum illius loci ad Att. eſt C. Memmius, & iccirco interpretandũ eſt, ſuus competitor, id eſt, proprius ſui ipſius C. Memmij competitor: in loco autem Conſolationis ſuppoſitum eſt Crantor noſter, ut, ſi legatur Filio ſuo, interpretandum ſit proprio ſui ipſius Crantoris. Alterum genus elegantiæ uerba poſtulat uſitata, & propria. At illud, Fatis conceſſiſſet, minus uſitatum eſt, maxime apud Ciceronem, qui nunquam eo dicendi genere uſus eſt. Itaque uides, quo modo ego hoc, quàm illud, minus elegans eſſe intellexerim.* SIG. *Tranſeamus ad uerſus.* RICC. *In Tuſc. Nec tam flebiliter illa canerentur;*

> *Hæc omnia uidi inflammari:*
> *Priamo ui uitam euitari:*
> *Iouis aram ſanguine turpari.*

In Conſ. Hinc illa miſerabiliter decantata;

> *Hæc omnia uidi inflammari:*
> *Priamo ui uitam auferri:*
> *Iouis aram ſanguine turpari.*

Mutata eſt uox Euitari in uocem Auferri: & locus eſt deprauatus. SIG. *In quo tandem hæret hoc uitium, in ſignificatione, an in uſu? ſanè dices in*

neutro.

neutro. RICC. *Immo in ſignificatione, quia ſignificantius eſt, Vitam euitari, id eſt, non uitã reddi, quàm uitam auferri; & adhibere minus ſignificans pro ſignificantiori, nihil aliud eſſe, niſi deprauare intelligo. Præterquàm quòd, ut aliàs dixi, tollitur pulchritudo ſimiliter deſinentium, ſi dicatur auferri; & uerbum Euitari grauius eſt, quod quandam redolet antiquitatem.* SIG. *Afferendus eſt antiquorum uſus, ut odorem hunc hauriam.* RICC. *Haurire potes ex eo, quòd eſt uox ex Hecuba antiqui Ennij, propter antiquitatem quidem noſtris temporibus inuſitata, ſed tamen teſtimonio Ciceronis tribus in locis confirmata, non ſolum in prima Tuſc. ſed etiam in 3. & in lib. 3. de Orat. ut dubitare non debeamus, quin Ennius ea uſus ſit, & quin auctor Conſolationis eam fortaßè non intelligens mutare auſus ſit.* SIG. *Age nunc expone ſententias, quas corruptas putas.* RICC. *Tam multæ ſunt, ut, ſi omnes perſequi uelim, non facile orationis exitum inueniam.* SIG. *Ego cdã unam emendatius ex Apologia Socratis expreſſam in Conſ. quàm in Tuſc. cuius cauſſa tu prorſus hanc Conſolationem explodis. Sic ſcriptum eſt in Conſ. Quòd ſi morte ſenſus extinguitur, &c. ſin migrationem eſſe uolumus in eas oras, &c. In Tuſc. uero: Quòd ſiue morte ſenſus extinguitur, &c. Sin uera ſunt, quæ dicuntur. Quis enim Latine dixit unquam, Siue, Sin? Quis contra non dixit, ut hic, Si, Sin? Quod cum ita ſit, quid eſt, quod huic*

Commentario tam acriter oblatres? Ricc. *Omnia tolerabiliora ſunt, quàm hoc, quòd Sigonius, quamuis Sigonius, uel ipſum Ciceronem reprehendere de parum emendata audeat elocutione. Sed,* παῤῥησιάσομαι γάρ πρὸς σε, *quãuis Sigonius multum ualeat in lingua Latina, quid tamen eſt Sigonius ad Ciceronem? Ergo prauum imitatorem Ciceroni in linguæ candore præferre audes, cui ne dignus quidem foret, qui matellam porrigeret?* Sig. *Eiuſmodi ingenij illud quoque in primo iudicio, hunc ad cunnum natum hominem eſſe.* Ricc. *Si tam ſæpe rem turpiſſimam elocutione ſua repræſentat, quid aliud dicendum eſt? quem tu non ſolum excuſas, ſed etiam frequenter imitaris, ut cum dixiſti in prima oratione: Cum negocijs ipſis: in ſecunda; Cum noſtris neceſſarijs; in iſto Dialogo tuo; Cum non ex eadem artium ambæ officina prodierint: & alibi ſæpe ſimiliter. Cũ autem poſſint ea ſufficere, quæ ad Ciceronẽ a tuo ſæuiſſimo telo in ſecunda mea diſceptatione attuli defendendum, cur dicor oblatrare, qui furem nondum uidens non oblatro, ſed te Ciceroni oblatrantem, quantum poſſum, reprimo.* Sig. *Quid? an tu Liuianam uerbi huius tralationem nobilẽ non agnoſcis, qua Catonem dixit Africani magnitudinem allatraſſe? an te maiore Scipione maiorem fingis? nam, ſi deſpecto Liuio ſimilitudinem quæris, quid poteſt eſſe ſimilius? ut enim canes allatrãt ignotos, ſic tu ſcriptorem incognitum arguis.*

ut illi reclamant furibus,ſic tu imitatori,id eſt,furi alienæ induſtriæ maledicis. ſin autem hoc reſponſo facetus eſſe uoluiſti,næ tu incaſſum feciſti, quia riſum ex alieno,& quidem notiſſimo ioco quæſiſti.
RICC. *Scio ſcriptum eſſe apud Liuium lib.* 48. *ad hunc modum; Morte Africani creuere inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Porcius Cato,qui uiuo quoque eo allatrare eius magnitudinem ſolitus erat. Ibi commemoratur Cato tamquam inimicus Africani, & obtrectator,iccircoq. ei tribuitur illa, quã nobilem appellas, allatrãdi tranſlatio. Sed, quoniam tam nobilis eſt,non uerebor eam tibi quoque tribuere, qui allatras Ciceronis magnitudinem, mihiq. tributam aſpernabor, qui in maledicendo prædicationem, nobilitatemq. deſpicio. Nec me maiore Scipione maiorem fingo, etiam ſi tu mihi quoque in hac re tamquam Scipioni maiori Cato maior oblatres, pro quo temere te Scipionem maiorem uideo nominaſſe, non enim Scipio,ſed Cato allatrabat. Nec Liuium deſpicio, ut tu,qui præter cauſſam modo eum reprehendiſti. Quòd,ſi, ut canes allatrant ignotos,ſic ego tibi uideor ſcriptorem incognitum allatrare, (quem modo Ciceronem eſſe contendis, modo ſcriptorem incognitum confiteris,ut, quid ſentias, tu te neſcire profitearis) uide,ne tu appellari non ſolum canis, ſed etiam rabidus canis congruentius poſsis, qui nullam diſtinctionem adhibes perſonarum,& notos quoque allatras,& mordes. Qua in re ea alte-*

ra eſt ſimilitudo, quod, quemadmodũ, auctore Luciano, quos rabidus canis momorderit, non ſolum ipſi rabie agitantur, ſed uim etiam retinent eundẽ imprimendi morſum, unde fit quædam rabidorum catena: ſic, quos tu ſuperiore proxima æſtate, quo tempore canum rabies peſtifera in primis homini eſt, opinionis tuæ prauitate quaſi rabie infeciſti, illud tuum in vulgus iactans, AVT CICERONIS, AVT CICERONE MAIORIS, *alios ita infecerunt, ut, qui talem rabiem curet, diuinum quid habere iudicandum ſit. In te igitur fortaſſe Græcorum quadrat prouerbium*, δῆγμα κυνὸς λυττῶντος. *Quod addis, ut canes reclamant furibus, ſic me imitatori alienæ induſtriæ reclamare, id apertius facerem, ſi furem uiderem, & hominem agnoſcerem. obiurgarem enim, quòd ſe uellet pro Cicerone uenditare, & ab incepto deterrerem. Cumque abs te reprehendar, quòd alieno, et quidem notiſsimo ioco uſus ſim, immerito me reprehendi arbitror, quia in pręceptis eſſe non uideo, Vt ab alienis, & notiſsimis iocis caueamus; quemadmodum ne tu quoque indignum iudicaſti, alieno, & trito prouerbio uti, Sus Mineruam, & alijs ſimiliter. Satis igitur patienter illam tuam oblatrandi tuleram mentionem. Sed, quoniam me rurſus inſtigaſti, patere tu quoque me ſic, quamuis inuitum, reſpondiſſe, & recordare eſſe in præceptis noſtris*, διαβάλλειν τὸν διαβάλλοντα. *Quid autem ais de locis Mureti imitatione expreſsis?*

SIG. *Haud quaquam faciam, quod ante feci, ut Ciceronem à mortuis excitem, qui te acrius hæc dicentem obiurget, ac Muretum à ſe ſumpſiſſe oſtendat. nam uideo te grauiter illud tuliſſe. Verum ut Cleanthes quondam à magiſtro ſuo defeciſſe cō diſcipulum audiens, terra pede percuſſa dicam;*

Audis'ne hæc Amphiarae, ſub terram abdite?

RICC. *De tribus locis putas Muretum ſumpſiſſe duos ex iſta Conſolatione, quam tamen ipſe affirmauit, ut dixi in prima mea diſceptatione, exercitationem eſſe iuuenilem, & paruifaciendã. Eundem arbitraris in tertio loco imitatum eſſe Ciceronem de finib. quod ne ego quidem negaui; ita tamen, ut auctorem Conſolationis non Ciceronem de finib. ſed Muretum imitatione expreſsiſſe, mea diſputatione confecerim. de quo tertio loco eſt tam uerum, quàm quod ueriſsimum, te parum amice miras mihi tragœdias excitaſſe; ut etiam Ciceronem ab inferis excitatum contra me loquentem induxeris. quod tuum inſtitutum nunc quoque retinens, quemadmodum Cleanthes cōtra Heracleotem Dionyſium condiſcipulum, cum pede terram percuſsiſſet, uerſum ex Epigonis dixiſſe in 2. Tuſ. commemoratur; Audisne hæc Amphiarae ſub terram abdite? Zenonem ſignificans, à quo degenerare illum dolebat: ſic tu contra me, terra pede percuſſa, eundem uerſum protuliſti, Ciceronem ſignificans; cui tamen uter noſtrum ſit amicior, apparet, cum tu eius manifeſtus ſis accuſator, ego defenſor.*

ſenſor. Itaque ſi te inclamantem audiret, animaduertens te non ſolum abſurdiſsimam Conſolationem ſibi tribuere, ſed etiam multa errata obijcere, & multa probra inferre, inſtar Homerici Achillis, quereretur hoc, ut opinor, modo;

Corq. meum penitus turgeſcit triſtib. iris,
Cũ decore, atq. omni me orbatũ laude recordor.

Atqui non eſt, Sigoni, cur Ciceronem inclames, ſi ipſe non eſt iſtius Conſolationis auctor, ſed alius incognitus ſcriptor.

PRO QVARTA CONIECTVRA, quòd inſerta ſint fragmenta eodem ordine, quo à fragmentorum inueſtigatoribus edita ſunt; & quibuſdam aucta, atque in quibuſdam deprauata.

SIGONIVS.

SIGONIVM *diuinare potuiſſe negas. Ne ipſe quidem tale de ſe aliquid profitetur. Neque enim ſe diuinaſſe ait, ſed ratione duce uerum quædam quaſi per ueſtigia conieciſſe.* RICC. *Si diuinaſſe te non profiteris, tam acriter non foueres ordinem à te excogitatum, tãquam diuinitus afflato: qui qualis ſit, aliàs conſiderabimus.* SIG. *Immo nunc. Adhuc enim cauſſam alienam defendi, quoad potui: nunc mea mi-*

bi erit tuenda, quæ, ut ſentio, non aperte, ſed occulte quaſi quibuſdam cuniculis oppugnatur. RICC. *Nonne pollicitus es, te ad ultima mea non reſponſurum? cur ergo ad hoc uis reſpõdere, quod in ultima diſceptatione mea obieci?* SIG. *Vt me ipſum defendam.* RICC. *Te non oppugnaui, nec ordinem tuum damnaui: ſed illis, qui nullum aliũ ordinem ſeruari potuiſſe dictitabant, oſtendi potuiße. Quod ut uerum eſſe intelligas, audi, quid in illa quarta diſceptatione mea dixerim. Cum enim explicaſſem primam, ſecundam, & tertiam medicinam, à Cicerone ipſo traditam, ita ſubiunxi: Hãc triplicem medicinam mihi uериſimile eſt à Cicerone conformatam fuiße, ſumpto exemplo ex eius ipſius Conſolatione, antea conſcripta: in qua primum uidetur tractaſſe primam medicinam, ut doceret mortem eſſe potius bonum, quàm malum, ea potiſsimum ratione, quæ in prima quoque Tuſc. mirabiliter ornata eſt, quia animus ſit immortalis. hæc enim eſt Ciceroniana ratio pluribus in locis uſurpata, qua probatur, mortem eſſe bonum: deinde adhibuiſſe alteram medicinam, ut communem uitæ condicionem deploraret, à cuius malis abduci bonum eſſet, & ſuum quoque caſum multorum clariſsimorum uirorum exemplo mitigaret: poſtremo tertia medicina uſum eſſe, ut officium ſuum mærendi, & lugendi ad filiæ conuerteret conſecrationem. Ego profecto hunc ordinem ſeruaſſem in ipſis Conſolationis fragmentis ordinãdis;*

atque, ſi in fingenda huiuſmodi Conſolatione iniuria temporum amiſſa me exercuiſſem, eundem ex præſcripto Ciceronis retinuiſſem; ac primum de immortalitate animorum diſputaſſem, quod ſine ullo meò dubio eſt talis diſputationis fundamentum, & pertinet ad primam medicinam, ut demonſtretur mortem non eſſe malum, ſed bonum: deinde de miſerijs hominum, quæ ad ſecundam medicinam uidentur attinere: poſtremo de conſecratione filiæ, quæ officium ſpectat mærentis, & lugentis. Auctor autem iſtius Conſolationis ordinem ſeruauit Sigonianum, ſanè ingenioſum, egregium, et præclarum, (non enim damno) ſed non neceſſariũ, ut primum de miſera hominum condicione, deinde de animorum immortalitate, poſtremo de conſecratione Tulliæ diſputaret. Hæc ego ibi ad uerbũ.
SIG. *At quomodo ad hanc tu potuiſti opinionem delabi, cum deploratio miſeriarum ex eo Crantoris loco accepta ſit, ubi homines luendorum ſcelerum cauſſa natos ſignificauit, Lactantius autẽ auctor ſit, Ciceronem in principio Conſolationis illã ſententiam uſurpaſſe?* RICC. *Ad hanc opinionẽ ueni, poſteaquam præſcriptum Ciceronis de triplici medicina conſolandi animaduerti, & obſeruaui, quænam ex ſententia ipſius Ciceronis eſſet prima, quæ ſecunda, & quæ tertia; ac uidi, qua ipſe ratione probare ſoleret mortem eſſe potius bonũ, quàm malum, quæ prima eſt medicina. Illam uerò ſententiam, quam ex loco Crantoris acceptam eſt*

ſe dicis, Lactantius citat ſine ulla Crantoris mentione. Sic enim ait; Quæ ignorantia effecit, ut quoſdam dicere non puderet, iccirco nos eſſe natos, ut ſcelerum pœnas lueremus. & paullo infra; Quid Ciceroni faciemus? qui cum in principio Conſolationis ſuæ dixiſſet, luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, iterauit id ipſum poſtea, quaſi obiurgans eum, qui uitam non eſſe malis plenam putet. Neque uero illa ſententia me impedit, quominus putem in prima parte Conſolationis potuiſſe de animorum immortalitate tractari: potuit enim pertinere ad declarandam ipſam animorum immortalitatem ex Pythagoreorum doctrina, qui cum dicerent luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, conſtituebant migrationem animorum ex corporibus in corpora, & hoc modo animos eſſe immortales putabant, qui luendorum ſcelerum cauſsa ex corporibus in corpora migrarent. Fieri enim illa migratio dicebatur, ut ſcelera luerentur. Quod tu quoque ſenſiſti, cum, cur uocem Quaſi adieceris, quam imitatorem à te ſumpſiſſe notaui, aperuiſti his uerbis: Dices, ſi ergo Lactantius Quaſi non adiecit, cur Sigonius addidit, cum dixit, Miſerias hominum mihi uidetur deploraſſe, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſſa in hanc uitam prodierint. quæris, quamobrem? nempe, ut doceret, ſe migrationem illam animorum ex corporibus in corpora non probare, quam illi conſtituerunt, qui homines luendorum ſcelerum cauſsa naſci

ſci dixerunt.neque enim cum fide Chriſtiana conſeñtit,ut plurib.Lactãtius in eodem loco diſſeruit. Hæc tu in ſecũda oratione. Quare uides,illam luẽdorum ſcelerum mentionem factam fuiſſe, ut animorum declararetur migratio,id eſt,ipſa ex mente Pythagoreorum immortalitas. SIG. *Quomodo putes,te aliter hoc tempore facturum fuiſſe iactare,cum alias in Commentario tuo de hiſtoria pag. 64.ſcriptum ita reliqueris? Cicero in Conſ. miſerijs hominum deploratis,leuiſſime omnia eſſe ferenda oſtendit,ac de æternitate animorum, & de filia inter deos conſecranda diſputauit. ita ut ordinem ipſum Sigonianum ex omni parte probaris?* RICC. *Probaui, quia nimium Sigonio credidi.ſcripſi enim illa, cũ didiciſſem ex tuo in Fragmenta Commentario: ſed re nunc penitus,diligenterq. perſpecta,illa ipſa fortaſſe mihi ſunt dediſcenda.* SIG. *Fac Ciceronem potuiſſe, ut tu uis, commodius diſtribuere, num iccirco quoties aliquid tibi melius dici potuiſſe ab eo reperies,toties librum illum Ciceronis auctoritate mulctabis?* RICC. *Minime uero: ſed nunc mulctabo, cum ex præſcripto ipſius Ciceronis aliter ab eo fuiſſe factum mihi conſtiterit,ut de Conſ.uidetur conſtare.* SIG. *An uero, qui oratorem, atque officia eius nuper maledictis multo acriorib. proſciderunt, eos libros propterea Ciceronis eſſe negarũt?* RICC. *Si talia habuiſſent argumenta in eos libros, qualia ego in hunc habeo, etiam ſi ea tu magis maledicendo diminuas,*

minuas, & quaſi næuos, ac crepundia floccifacias, quàm reuera refutes, idem fortaſſe feciſſent, quod ego nunc facio. SIG. *Noli tua iſta ſaniora ad corrigendum non minus prudentiæ, quàm eloquentiæ parentem conſilia adhibere, nequis te forte parum ſano eſſe conſilio putet.* RICC. *Noli tua authoritate ad fouendum non minus imprudentiæ, quàm infantiæ auctorem uti, nequis te forte imprudentem, & prauo eſſe iudicio exiſtimet.* SIG. *Non ſit Cicero, quia Sigonij auctoritatem, iudiciumq. ſecutus eſt: ergo Cicero erit, ſi quod fragmentum Ciceronis expreſſerit, quod non præmonſtrarit Sigonius. At, ſi hoc fateris, prout fateri neceſſario debes, habemus, quod uolumus.* RICC. *Negaui aliàs iſtam tuam neceſſariam conſecutionem, & , cur negauerim, aperui. Sed quænā ſunt iſta fragmenta in Conſ. expreſſa, & à Sigonio non præmonſtrata?* SIG. *Vt illud, quod Seneca citauit, nec certi loci notatione inſigniuit hoc modo; Gladiatores, ait Cicero, inuiſos habemus, ſi omni modo uitam impetrare cupiunt: fauemus, ſi contemptum eius præ ſe ferunt.* RICC. *At Seneca hauſit non ex libro Conſolationis, ſed ex oratione pro Milone, ubi ſic legitur: In gladiatorijs pugnis timidos, & ſimplices, & , ut uiuere liceat, obſecrantes etiam odiſſe ſolemus: fortes, & animoſos, & ſe alacriter ipſi morti offerentes ſeruare cupimus.* SIG. *Qui tandem in mentem tibi uenit hoc affirmare? nonne uides uerba omnia inter ſe diſcre-*

crepare? Senecam uerò cum dixit, Gladiatores, ait Cicero, uerba ſe prolaturum eius innuiſſe? ut Cicero in Catone: Etenim, ut ait Homerus, ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio. Ricc. *An uero non affirmabo, quod uerißimum debet exiſtimari? Ergo habemus locum certum, unde ſententiam ductam eſſe, dici poteſt, & quidem clarum, & apertum nobiliſſimæ orationis Milonianæ, & eam incertæ iſti Conſolationi aſſignabimus? Verba enim diſcrepant, quia Seneca ſententiam Ciceronis ſuis uoluit uerbis exprimere. Sententia uero eadem eſt. Nam Cicero ait: In gladiatorijs pugnis: Seneca, Gladiatores. ille, Timidos, & ſupplices, & ut uiuere liceat, obſecrantes: hic, Si omni modo uitam impetrare cupiunt. ille, Odiſſe ſolemus: hic, Inuiſos habemus. ille, Fortes, & animoſos, & ſe alacriter ipſi morti offerentes: hic, Si contemptum eius præ ſe ferunt. ille, Seruare cupimus: hic, Fauemus. Quòd ſi uerba Senecæ uis eſſe prorſus Ciceronis ex Conſolatione, cur uerba Conſolationis putas eßе quoque Ciceronis, in quibus non nulla mutatio facta eſt? Inuiſos habemus, populus Rom. inuiſos habet: Fauemus, Fauet ijs: Si omni modo, Qui omni modo: Si contemptum, Qui contemptum. Si hanc mutationem toleras, & tamen ſententiam Ciceroni tribuis, cur etiam ferre non debes mutationem factam à Seneca, & nihilominus tribuere ſententiam Ciceroni pro Milone, ut uere eſt?* Sig. *At Seneca cum dixit*

xit Gladiatores,ait Cicero, uerba ſe prolaturum eſ ſe innuit. RICC. *Cur non potuit ſolam ſententiam innuere?* SIG. *Simile eſt,quod legitur apud Ciceronem in Catone.* RICC. *Homeri uerba ſunt lib. 1. Iliadis de Neſtore;*

του ϗ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Verba Ciceronis ſunt Homeri ſententiam exprimentia;

Ex eius lingua melle dulcior fluebat oratiò.

Poſſunt citari eadem uerba: poteſt etiam citari ſententia mutatis uerbis. Quod ità clarum eſt, ut probatione non egeat. Quare ualde mirandum eſt, te alioquin in Ciceronis ſcriptis exercitatiſſimum,eius notiſſimam ſententiam prò Milone non ſolum inter incerta Ciceronis fragmenta enumeraſſe,uerum etiam poſtea eſſe locum Conſolationis exiſtimaſſe, &, quamuis locus Milonianæ ſit tibi in memoriam reuocatus,tamen adhuc, ne uideàris de ſententia deiectus,quod in alijs multis facis,de eò contendere.Sed alia noua fragmenta,ſiqua habes,quæ auctor Conſolationis expreſſit, & tu non præmonſtraſti,perſequere. SIG. *Hoc, quod attuli, ſatis eſſe poteſt.* RICC. *Immo id, ut oſtendi, nihil te adiuuat. Quid? nonne alterum commemorabas à Petrarcha citatum?* SIG. *De eo nihil dico amplius.* RICC. *Recte facis.ſatis enim monſtraui illa uerba Petrarchæ in libro decimo Senilium non eſſe fragmenta Conſolationis.Videsne igitur,quàm repente iſta tua fragmentorum nouitas diſflu-*

diffluxerit? Sed progrediamur. S i g. *Notaſti uocem Quaſi omiſſam à Lactantio, additam eſſe de meo eo in loco; Humanæ uitæ incommoda ita diligenter, & accurate expreſſit, ut quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, & in hanc lucem ingredi poſſis agnoſcere. Sic enim ſcripſeram: Miſerias hominum mihi uidetur deploraſſe, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſſa in hanc uitam prodierint: ego uero interpretatus ſum illam uocem non fuiſſe opus à Lactantio commemorari, quia intelligendum ſit, non Quaſi luendorum ſcelerum cauſſa homines naſci, ſed Quaſi poſſis agnoſcere; & contendi me alio ſpectantem, Quaſi luendorum dixiſſe, ne aſſentiri uiderer prauæ illi gentilium ſententiæ, atque ibi a Lactantio exagitatæ.* R i c c. *Omitte, quæſo, iſtã tuam quaſi agnitionem: nemo enim eſſet, qui uocem Quaſi non referret ad uocem Luendorum. Nec uelis prudentiam tuam in hoc oſtendere, ut cauſſam explices, cur tu addideris Quaſi, quod in uerbis tuis uis referri ad illud Luendorum, & non in Conſ. Quis enim non uidet iſtam tuam eſſe tergiuerſationem?* S i g. *Nonne etiam tu eodem in loco commentarij tui de hiſtoria, ijsdem uerbis eandem ſententiam es complexus? Cicero in Conſ. ut philoſophus ſemet ipſum, quantum potuit, conſolatus eſt, miſerijs hominum deploratis, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſſa in hanc uitam prodierint. Quod uerum, an falſum ſit, poſtea cogitabis.* R i c c. *Hoc non indiget co-*

gitatione:

gitatione: eſt enim plus, quàm uerum: propterea quod, ut alias quoq; dixi, tunc maiorem tibi fidem habui, quàm fortaſſe debebam. Nunc uero, re diligentius conſiderata, & ordinem illum tuum ſuſpe ctum habui, & uocem Quaſi à te additam. SIG. *Ergo diſcedis ab eo, quod alias ſcripſiſti.* RICC. *Diſcedo iuſta de cauſſa.* δόξειε δὲ, *inquit Ariſtot.* ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καί δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν. *Quod ſi etiam propria pro conſeruatione ueritatis tollenda ſunt, cur non quoq. aliena? Nam, ut idem tradit,* ὅσιον προτιμᾶν τὼὶ ἀλήθειαν. *Hæc autem ſolet eſſe cauſſa erroris inter ceteros, quia homines alicuius quandoque magni uiri auctoritatem ſequuntur, atq. in eam tanquàm in numen aliquod etiam relicta ratione intuentur.* SIG. *Notaſti quoq. additum eſſe illud, Et in hanc lucem ingredi, tãquam gloſſema illius uocis Naſci. At, quemadmodum Cicero, cum dixit, Non naſci longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere uitæ: ſic poſtea ornatus oratorij gratia adiecit, Et in hanc lucẽ ingredi. Nã materiam quidem ipſam Conſolationis à philoſophis ipſis accepit: tractationem uero ab oratorib.* RICC. *At id ſimile non uidetur: ſiquidem Cicero ad illud, Non naſci longe optimum, adiecit, Nec in hos ſcopulos incidere uitæ, ut cauſſam quodammodo afferret, cur eſſet optimum non naſci, ne ſcilicet in hos uitæ ſcopulos incideretur. Naſci uero, & in hanc lucem ingredi, ferè idem eſt. præterquam*

quòd non ſatis appoſitè illud adiectum uidetur à tuo ſimulato Cicerone, quia, ſi luendorum cauſſa ſcelerum naſcuntur homines, potius in tenebras miſeriarum, quàm in lucem felicitatis ingrediuntur. Quare melius dictum eßet, ut à germano Cicerone, Naſci, & in hos ſcopulos incidere uitæ: & hic eſſet uerus ornatus oratorius. Quamquã quod dicis Conſolationem Ciceronis fuiſſe materia philoſophicam, tractatione oratoriam, ut ſcilicet tacite te defendas, qui Ciceronem in eo libro modo philoſophum, modo oratorem facis, haud ſcio, an omni ex parte uerum ſit. Nã prima diſputatio Tuſc. mihi uidetur eſſe eiuſdem generis, cuius fuit Conſolatio: & tamen Cicero in præfatione profitetur, ſe rem philoſophicam agere & materia, & tractatione. &, cum prope finem ſcribit in hunc modum; Num igitur etiam Rhetorum Epilogum deſideramus, an iam hanc artem planè relinquimus? ſignificat diſputationem ante huiuſmodi Epilogum eſſe totam philoſophicam. Ratio afferri poteſt ſane facilis, & expedita, cur illa diſputatio cenſeatur philoſophica, & Epilogus oratorius, quia illa eſt minus accommodata ad communem hominum intelligentiam: hic magis appoſitus ad uulgi ſenſum. Modus enim tractandi eſt is, qui tractationib. formam affert. Et, ut modus tractandi philoſophicus eſt exquiſitior, ac minus popularis: ſic oratorius minus exquiſitus, & popularior, atque ad rudes homines magis accommodatus, &, ut ait Cice

ro

ro de Orat. non aurificis ſtatera, ſed quadam populari trutina examinandus. ἔϛι γὰρ τὸ ἔργον τῆς ῥητορικῆς ἐν τοῖς τοιούτοις ἀκροαταῖς, οἳ οὐ δύνανται διὰ πολλῶν συνορᾶν, οὐδὲ λογίζεσθαι πόῤῥωθεν. καὶ ὁ κριτὴς ὑπόκειται εἶναι ἁπλοῦς, *ut patet ex Ariſtotele. Quamobrem, ſi uolumus dijudicare, utrum modus tractandi adhibitus in Conſolatione, non iſta ſimulata, ſed uera Ciceronis, fuerit philoſophicus, ut ego exiſtimo, an oratorius, ut tu tradidiſti, debemus illud intueri, utrum magis ſpectauerit rei ueritatem, quàm uulgi opinionem, an magis ſe accommodauerit ad hominum multitudinem, ad quam refertur tota ars perſuadendi, quàm ad rem ipſam, & maluerit perſuadere alijs capiendam eſſe Conſolationem in obitu propinquorum, & amicorum, quàm ſe ipſum conſolari. Ego uero, libere ut dicam, quod ſentio, Conſolationem Ciceronis exiſtimo philoſophicam fuiſſe, non ſolum materia, ſed etiam tractatione, qua ſe argumentis ex penetralibus philoſophiæ depromptis conſolatus eſt. & iccirco ab eo inter libros philoſophicos fuiſſe enumeratam in principio libri ſecundi de diuinatione, de qua, ut tu quoque refers in commentario Fragmentorum, ita ibi ſcriptum eſt: Quid ego de Conſolatione dicam? quæ mihi quidem ipſi ſane aliquantum medetur: cæteris item non multum illam profuturam puto. ſpectauit enim ibi magis, quid ipſe ſentire, ut ſapiens, & philoſophus, & quo animo eſſe deberet, quàm quid alijs*

perſuadere, ut orator, poßet. Sig. *Habes liberam opinandi facultatem. Quod autem dicis de gloſſemate, totum eſt à te: Neque enim, In hos ſcopulos incidere uitæ, ipſe tamquam cauſſam attulit, cur non ſit optimum naſci. Neque hoc tum intendit: ſed ſimpliciter ſapientis ſententiam retulit, qui dixit, Optimum eſſe non naſci. idq. auctore Lactantio more ſuo ornauit. Illa uero, quæ tu eadem eſſe adiungis, ſunt illa quidem, ut exiſtimas, Naſci inquam, & In hanc lucem ingredi, uerum à Cicerone more ſuo, id eſt, oratorio duob. uerbis eandem rem explicantibus exornata.* Ricc. *Quod dico, eſt quidem ab opinione mea: ſed non fortaße tam abſurdum, quàm putas. Non enim dico ſimpliciter cauſſam, ſed quodammodo cauſßam. Et cur nõ poteſt eße cauſſa quædam eius, quod dicitur, Optimum eſſe non naſci, ne ſcilicet in hos uitæ ſcopulos incidatur? Verſari autem in materia miſeriarum huius uitæ, & commemorare ingreſſum in lucem ipſius uitæ, tãtum abeſt, ut ornatum oratorium exiſtimem, ut potius id tribuam imprudentiæ commemorantis.* Sig. *Ego aliter ſentio.* Ricc. *Tu quid uelis: & ego quoque: aliorum uero ſit iudicium: ſed progredere.* Sig. *Lactantius uerba, quæ in Cõſolatione interiecta ſeptimo fragmento reperiuntur, dedita opera prætermiſit, ne integram fruſtra paginam recitaret, & ad rem ſuam non pertinentia uerba proferret.* Ricc. *At, quemadmodum ſi Lactantius ſuis uerbis Ciceronis ſententiam re-*

 cenſuiſſet,

renſuiſſet, ei quodammodo licuiſſet ea tantum modo commemorare, quæ ipſi placerent, & relinquere, quæ ad rem ſuam non pertinerent: ſic recitans propria eius uerba, ſi decurtata recitare uoluiſſet, id mihi ſine dubio uidetur aliquo fuiße modo indicaturus. SIG. *Lactantius & indicare, & diſſimulare pro arbitrio potuit, quippe nulla officij huius aut obeundi, aut prætermittendi lege conſtrictus. Cicero quidem certe, cum orationem Socratis ex Apologia commemorauit, multa è medio ſine ulla eiuſmodi ſignificatione remouit.* RICC. *Lactantio nulla cauſſa erat, cur diſſimularet. Ac Cicero quidem germanus in* I. *Tuſc. conuertit uerba Platonis ex Apologia Socratis, nihilq. è medio remouit: adulterinus uero ſine ulla ſignificatione remouit, quòd ea furari, & ſua facere uellet, contra quàm ſolet Cicero.* SIG. *Illa uerba interiecta deeſſe Sigonius, Patritiuſq. non ſenſit, quia uterque expers uaticinij fuit, atque ipſi Lactantio credidit.* RICC. *Immo cum Lactantius nihil indicauerit interiectum, & omnia coniunctim recenſuerit, merito Sigonius, & Patritius putauit nihil fuiſſe interiectum, meritoq. ei credidit, quem ad unguem commemoraſſe id, quod erat Ciceronis, nulla ex parte decurtatum, uerisimile eſt.* SIG. *Auctor interiecit diuerſis de cauſſis.* RICC. *Vera cauſſa fuit, quia huiuſmodi immutationibus delectatus eſt.* SIG. *Prima cauſſa fuit, ut rationem redderet eius, quod dicere cœperat, ſe uelle exem-*

plum

plum ueterum in conſecranda filia conſectari. RICC. *At non neceſſe habuit cauſſam addere, cur exemplum ueterum uellet conſectari: nam id omnibus patet ueterum ueſtigijs eſſe inſiſtendum, & ipſam ponere ueterum rationem ſufficiebat, Quòd ſi ullum animal conſecrandum fuit, illud profectò fuit, nempe animal rationis, & diuinitatis particeps, qui uocatur homo.* SIG. *Id omnib. patebat? immo erat omnibus obſcuriſſimum, atque omnino raritate ſua, & uetuſtate ipſa temporis exoletum. ecquando enim aliàs Romani poſt Romulum non dico fœminam, ſed uirum inter Deos retulerunt?* RICC. *Diſtorques more tuo, quod ſentio. Non enim dixi, patebat, ſed patet, non Homines inter Deos eſſe referendos, ſed Exemplum ueterum eſſe conſectandum.* SIG. *Altera cauſſa fuit, ut ſermonis ad Tulliam conuerſionem inferret.* RICC. *Nō neceſſaria fuit illa ſermonis ad Tulliam conuerſio.* SIG. *Immo neceſſaria. Quomodo enim potuiſſet continenter ad Tulliam orationem traducere, inquiens, Teq. omnium optimam, ac doctiſſimam conſecrabo, niſi præpoſuiſſet id, quod tu tollis; Neque hoc de te una mea Tullia dictum uolumus?* RICC. *Non uideo neceſſitatem huiuſmodi interpoſitionis, ut dicat Cicero, quod legitur apud Lactantium; Aſſentiam eorum ſapientiæ, quorum ingenijs, & inuentis omnem uitam legibus & inſtitutis excultam, conſtitutamq. habemus: teque omnium optimam, ac doctiſſimā conſecrabo.* SIG. *Ter*

tia cauſſa fuit, ut, quod Attico ſe facturum oſtende rat, ſolueret, de Tullia Græcis litteris, Latiniſque celebranda. Ricc. *Non ſoluitur, quod Attico promiſſum erat, ſed ſolutum eſſe ſignificatur. Verba tua ſunt in prima oratione; Vt in epiſt. ad Att. ſe filiam ſcriptis Latinis, Græciſq. celebraturum pollicetur, inquiens; Ego quantum his temporib. eruditis fieri poterit, profecto illam conſecrabo omni genere monumentorum ab omnium ingenijs ſcriptorum & Græcorum, & Latinorum; ſic in hoc libro ſe id feciſſe teſtatus eſt, ad eam loquens: Viuebis autem memoria, quandiu monumenta extabunt illa, quibus eximia conſignata ſunt tam excelſæ laudis teſtimonia, quæ ſempiterna fore, cum præſtantiſſima ſint, planę confidere debemus. & in ſecunda; promiſerat Attico ſe Tulliam Græcis litteris, Latiniſq. celebraturum: hic uero ſe celebraſſe inquit.* Sig. *Video te non ex animi ſententia, ſed eliciendi reſponſi gratia locutum eſſe. Neq. enim dubito, quin Lactantium legeris, qui lib. 1. cap. 15. inquit; Deorum memoriam ſi eadem ratione ueteres conſecrauerunt, qua ſe imaginem, nomenq. filiæ conſecraturum eſſe dicit Cicero, ignoſci mœrentibus poteſt.* Ricc. *Næ ego ex animi ſententia locutus ſum: &, cum Lactantium legerim, eum tibi fauere non comperi.* Sig. *Duo inquit, ſe conſecraturum eſſe, Ciceronem dixiſſe; nomen, & imaginem Tulliæ.* Ricc. *Quid igitur?* Sig. *Nomen conſecrauit, cum dixit, Nunc autem*

de ta

de te loquor, quam ego non amiſsam, aut mihi penitus ademptam uelim dicere, cum illuceſcat menti meæ quotidie magis præclariſſima nominis tui, tuarumq. uirtutum gloria. Vigebis autem memoria, quamdiu monumenta extabunt illa, &c. Ricc. *Hic non conſecrat nomen, ſed dicit ſe conſecraſſe. Iam perge.* Sig. *Imaginem conſecrauit, cum ſubiecit; Te uero in Deorum cœtu locatam ad opinionem omnium mortalium conſecrabo.* Ricc. *Ain tandem, Conſecrabo ſignificat Conſecraui?* Sig. *Ne dicas his uerbis conſecrationem fuiſſe confectam, quomodo mox inferre poterit; Nunc autem te conſecrata, in cœlumque recepta exultare plane uideor?* Ricc. *Hoc uidelicet eſt illud, quod dico: quò magis ſpectes, eò abſurdiora apparent. Hoc enim ultimum dictum non ſolum illi fragmento aduerſatur, Cedo, & manum tollo: ſed etiam in eo uidetur abſurdum, quòd Cicero in Conſolatione dixit ſe filiam inter Deos conſecraturum: iſte uero ſimulator conſecrationem iã confectam. Qua in re nec tu in enarrando argumento eius libri, nec ego in illo Commentario meo errauimus, cum ſcripſerimus non Ciceronem conſecraſse filiã in Conſolatione, ſed de filia inter Deos ad immortalitatis famam conſecranda, quomodo multi homines ſunt conſecrati, diſputaſſe.* Sig. *Vltima fragmenti pars, quæ apud Lactantium uulgo ſic legitur: Quod ſi ullum animal conſecrandum fuit, ſicut profecto fuit, in Conſolatione eſt*

cum illuſtri acceſſione, & emendatione hoc modo: Quod ſi ullum animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecrauerunt Aegyptij, quod nullum profectò fuit. R I C C. *Ego longe aliter ſentio, illam fragmenti partem in Conſolatione non eſse bene auctam, & emendatam, immo potius deprauatam. In meo autem Lactantio typis Aldinis impreſſo illud non legitur, quod uulgo haberi dicis, Sicut profectò fuit: cuius loci ſententia eſt: Si alia unquam animalia fuerunt conſecranda, eum in primis honorem homini debitum fuiſſe: ſed ſi legatur, ut in iſta Conſ. Quòd ſi ullum unquam animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecrauerunt Aegyptij, quod nullum profectò fuit: nimis diſcedetur à uerbis, quæ recitat Lactantius, cuius auctoritati multo magis, quàm huic controuerſo libro credendum arbitror: ut illa acceſſio, illudq. emendationis ſtudium magis mihi rei nouitatem declaret.* S I G. *Bona tua uenia dixero, longe alia fuit ſententia Ciceronis, quàm ut diceret, ſi ullum animal conſecrandum fuit, maxime hominem conſecrandum fuiſse.* R I C C. *Ne dicas Ciceronis, ſed illius tui incogniti ſcriptoris, & ſimulati Ciceronis.* S I G. *Hoc ſibi uoluit, ſi ulla beſtia conſecranda fuit, quemadmodum non fuit, ſi ex hominib. fortiſſimi præcipue uiri Hercules, Caſtor, & Pollux, conſecrandi fuerunt, eundem etiam honorem Tulliæ licet fœminæ, eadē de cauſſa tribuendum eſſe, quia huius extarent uirtutis,*

pruden-

prudentiæ, doctrinæ, continentiæ ad omnem æternitatem preſſa ueſtigia. Num quid fingi poteſt hac ſententia melius? Ricc. *Ergo ficta ſententia eſt?* Sig. *Num quid propoſito Ciceronis accommodatius?* Ricc. *Immo propoſito ſimulati Ciceronis. Nam propoſito Ciceronis illa altera à me expoſita quadrat.* Sig. *Tu uulgatam Lactantij, eamq. deprauatam lectionem conſectans interpretaris; Quòd ſi ullum animal conſecrandum fuit, illud profecto fuit, id eſt, homo: neque attendis ipſum animalia beſtias appellaſſe, homines autem non omnes conſecrandos fuiſſe, ſed eximia tantum uirtute ornatos.* Ricc. *Illam lectionem deprauatam eſſe non arbitror: & ſcio etiam hominem poſſe animal appellari: nec Ciceronem dixiſſe intelligo omnes homines eſſe conſecrandos, ſed inter cetera animalia maxime hominem, non omnem, ſed eum, qui eſſet immortalibus ac diuinis uirtutibus ornatus. Omnino, ſi librum non eſſe adulterinum exiſtimarem, iſtam tuam explanationem admitterem: ſed, quia ſuſpectum habeo, à uulgata Lactantij lectione non recedo.* Sig. *Gloriaris me ad ultimum tuum de fragmentis argumentũ nihil prorſus reſpondiſſe, quòd teſtetur Lactantius diuerſum fuiſſe Ciceronem in Conſolatione tum ab alijs, qui alios conſolati ſunt, tum à ſe ipſo in alijs locis, cũ alij ſemper fortunam depreſſerint, unam uirtutem extulerint, & ipſe ſemper fortunam à ſe eſſe ſuperatam profeſſus ſit, at, cum chariſſimam filiam*

amiſiſſet, uictum ſe à fortuna turpiter confeſſus ſit, cum dixit, Cedo, & manum tollo. Cui teſtimonio Lactantij, & cui fragmento repugnare illud dicis, Exultare planè uideor, uictorq. de fortuna, ac de omni prorſus dolore triumpho. Itaque me ad oppugnandum eum locum, ut inexpugnabilem uocas, quem ego propter imbecillitatem intactum, inuiolatumq. dimiſeram. Ricc. *Hoc ſcilicet eſt egregium inſtitutum tuum, ut omnia argumenta mea, quantumuis grauia, extenues, quæ tamen ſpero te non prorſus artificio tuo deleuiſſe, aut obſcuraſſe iudicatum iri.* Sig. *Horum alterum neceſſarium eſſe ais, ut aut Lactantius, aut Cicero mentiatur. Agam tecum, ut debeo, ac cœpi, ingenue: neutrum eſt horum.* Ricc. *Male me intelligis. Non aio neceſſarium eſſe, ut aut Lactantius, aut Cicero mentiatur: ſed affirmo Lactantium uerum dicere, & Ciceronem non mentiri, ſed eum, qui Ciceronem male ſimulauit. Quod autem dicis, te agere mecum ingenue, ut debes, ac cœpiſti; fortaſſe debes: ſed cum me, cui profiteris te amicum eſſe, ſcriptis tuis inſecteris, quomodo cœperis, non ſatis uideo.* Sig. *Cicero repentina filij morte oppreſſus, inops conſilij, antequam ad remedium philoſophiæ confugeret, ſe tum demum à fortuna uictum, cui nunquam antea ceſſerat, exclamauit. neque enim, ut ipſe alio loco inquit, ſapientis tum officio fungebatur: ubi uero prudentiam in conſilium aduocauit, & rationes leniendi mæroris à*

philo-

philoſophia petiuit, tum monitis eius inſtructus, & conſecrata iam filia recreatus, dixit: Nunc autem præceptis ſapientiæ aduerſus omnem fortunæ uim confirmatus, & te conſecrata, in cælumq. recepta, tanta affectus uoluptate, ac lætitia, quantam animo capere maximam poſſum, exultare plane uideor, uictorq. de fortuna, ac de omni prorſus dolore triumpho. RICC. *Hæc dixit Cicero ſimulatus, non uerus, quem non ante conſolationem Fortunæ ceſsiſſe, & poſt de Fortuna uictorem triumphaſſe, ſed in ipſa Conſolatione uictum ſe à Fortuna, confeſſum eſſe, luce clarius apparet ex Lactantio.* SIG. *Non eſt credendum Lactantio, qui philoſophis gentilibus in illis libris infeſtus, & Chriſtianis amicus ex quacunque re occaſionem inſectandi, ac carpendi, præcipuè Ciceronis, arripuit.* RICC. *Non puto maiorem fidem habendam iſti inani imitatori, qui quandoque, quid dicat, neſcit, & præter dictum de uicta Fortuna etiã ſupponit Tulliæ conſecrationem factam eſſe, quam tamen in Conſolatione dixiße Ciceronem, ſe nõdum conſecraſſe, ſed conſecraturum eſſe, notiſsimum, atq. exploratiſsimum eſt; quàm Lactantio Firmiano, philoſopho grauiſsimo, qui quamuis eſſet philoſophis gentilibus infeſtus, & Chriſtianis amicus, nunquam tamen in re tam manifeſta, cũ Conſolatio Ciceronis in manibus omnium uerſabatur, Ciceronem reprehendiſſet, ſi antequam ſe conſolaretur, & non in ipſa Conſolatione Fortunæ ceſsiſ-*

ſet.

ſet. SIG. *Si, ut tu uis, ipſe ſe à Fortuna uictum confeſſus eſſet, neque glorioſam de Fortuna uictoriam ſubiecißet; quomodo Conſolationem cepiſſet?* RICC. *Hoc nempe eſt illud, quod Lactantius reprehendit, quòd cum profeſſus ſit ſe Conſolationem capere, tamen ſic iacuerit, Fortunæ prorſus ſubiectus.* SIG. *Quomodo Lactantius ipſe hæc uere de illo dicere potuiſſet lib. 1. cap. 15? Fortaſſe præ nimio luctu dicat aliquis deliraſſe Ciceronem. Atqui omnis illa oratio & doctrina, & exemplis, & ipſo loquendi genere perfecta, non ægri, ſed conſtantis animi, ac iudicij fuit. Et hæc ipſa ſententia (nempe, Teq. omnium optimam, doctißimamq. approbantib. Dijs immortalib. in eorum cœtu locatam ad opinionem omnium mortalium conſecrabo) nullum præfert indicium doloris. neque enim puto illum tam uarie, tam copioſe, tam ornate ſcribere potuiſſe, niſi luctum eius & ratio ipſa, & conſolatio amicorum, & temporis longitudo mitigaſſet.* RICC. *Lactantius in ceteris laudauit Ciceronis Conſolationem: in hoc damnauit, quòd ſe à Fortuna ſuperatum fuiſſe confeſſus ſit.* SIG. *Quid ego pluribus argumentor? Receßiſſet a conſuetudine ſua Cicero, ſi ſecus feciſſet.* RICC. *Lactantius lib. 3. cap. 28. aperte teſtatur, eum recesſiſſe, & confeſſum eſſe in Conſolatione ſe recedere, quòd pugnarit ſemper contra Fortunam; eamq. ſuperarit, tum fortiter inimicorum impetus retudißet: nec tum quidem

dem ab ea fractus ſit, cum domo pulſus patria caruit: tum autem, cum amiſerit chariſsimam filiã, uictus ſit à Fortuna. SIG. *Vt timorem nunquam attulit ſine confirmatione: ſic neque mærorem ſine conſolatione.* RICC. *Adhibuit quoque idem mærori conſolationem, ita tamen, ut Fortunam rerum omnium dominam agnouerit, eiq. ceſſerit, ac manus dederit. Qua in re Lactantio reprehenſione dignus uiſus eſt. Verum iam uitia exemplorum perpendamus.*

PRO QVINTA CONIECTVRA, quòd quædam exempla aliter commemorata ſint, quàm à Cicerone fuiſſe narrata uideantur, & quædam prolata, quæ incertum eſt, an ab eo comprehenſa fuerint.

SIGONIVS.

OBSERVASTI *auctorem Conſolationis ordine præpoſtero prius egiſſe de Xenophonte, quàm de Pericle, quemadmodum etiã prius de Q. Fabio, quàm de Puluillo, cum tamen uériſimile eſſe arbitreris, ex ordine temporum primum Periclem, deinde Xenophontem laudatum fuiſſe, ut Puluillum quoque ante Q. Fabium, quo ipſo ordine uel D. Hieronymus nominauit. Breui repetam reſponſiones meas.*

meas. Ricc. *Et ego earum reſutationem &,ſi-quid addideris, ex inſtituto meo conſiderabo.* Sig. *Cicero in hac Conſ. hiſtoriam non texuit: ſed diſputationem de officio oratoriis pigmentis expreſſit.* Ricc. *Quamuis hiſtoria non ſcribatur: tamen ita diſtinguendum uidetur, ut dicatur, aut diſputationis ſeriem,nexumq. ferre, ut is ordo ſeruetur: aut non ferre. primo modo eum ſeruandum eſſe: altero prætermitti poſſe; quod exēplis probaui.* Sig. *Si tenetur temporū ordo,recte: ſin minus,ne illud quidem abſurde.* Ricc. *Ne ipſe quidem contendo ſemper ſeruandum eſſe,ſed plerunque. & iccirco notaui uerisimile eſſe Periclem, deinde Xenophontem nominatum fuiſſe,quia plerunque ita fieri ſoleat. Iam uero, cur diſputationis ſeries, & nexus non ferebat, ut ordo temporis non ſeruaretur? nullam enim cauſſam uideo, cur nón potuerit Cicero Periclem in ea materia, quæ agebatur, ante Xenophontem nominare.* Sig. *Potuit: ſed noluit, quia Xenophontem Anaxagoræ iungere uoluit propter aliquam utriuſque dicti affinitatem. Vt enim Anaxagoras mortuo filio nunciato dixerat, ſe genuiſſe mortalem; ſic Xenophon maiorem ſe ex filij uirtute uoluptatem, quàm ex obitu moleſtiam percepiſſe. In Pericle nulla uox præclara commemorata: ſed ſolum eximia in obitu filij conſtantia collaudata.* Ricc. *Si dicta Xenophontis, & Anaxagoræ fuerunt affinia, quia alter dixit, ſe filium genuiſſe mortalem, alter, ut legitur in*

Conſo-

Conſolatione, Deos ipſos, quibus litabatur, teſtatus eſt, maiorem ſe ex filij uirtute uoluptatem, quàm ex obitu moleſtiam cepiſſe. (quæ uerba uidentur expreſſa ex illo loco Valerij Maximi: Numina, quibus ſacrificabat, teſtatus, maiorem ſe ex uirtute filij uoluptatem, quàm ex morte amaritudinem ſentire) ſi inquam aliqua fuit affinitas illorum dictorum, quam tamen non uideo fuiſſe admodum magnam: Pericles quoque non paruam habuit coniunctionem cum Anaxagora, quē eius præceptorem fuiſſe, eique magnificentiam animi, atque elationem grauiorem ad popularem potentiam capeſſendam inieciſſe, & eius ingenium maxime excitaſſe, atq. incendiße, narrat Plutarchus. Præterea aſſinia fuerunt facta Periclis, & Xenophontis, qui ambo coronati coronam non dimiſerunt propter obitum filiorum, nullumq. mæſtitiæ ſignum dederunt; iccircoq; coniunctim commemorati ſunt, non ſolum à Valerio, ſed etiam à S. Hieronymo in hunc modum; Proponunt innumerabiles uiros, & maxime Periclem, & Xenophontem Socraticum, quorum alter amiſſis duob. filijs coronatus in concione dißeruit: alter, cum ſacrificans filium audiuiſſet occiſum, depoſuiſſe coronam dicitur, & eandem capiti repoſuiße, poſtquàm fortiter in acie dimicantem reperit concidiſſe. Sed ita me Dij ament, ut puto auctorē iſtius Conſolationis cum ſuam componeret imitationem, habuiſſe præ manib. Valerium, &, ne eum nimis aperte imitari uide-

videretur,cum is in exemplis externis primum Pe riclem,ſecundum Xenophontem, tertium Anaxagoram commemoraſset,nulla temporum habita ra tione ordinem conuertiſſe, ut primum ageret de Anaxagora,inde de Xenophonte, poſtremo de Pericle. Adde quod præter ordinem confuſum minus caute egit, quàm acturum fuiſſe Ciceronem veriſimile eſt, uel quàm Valerius ipſe egerit. Etenim non induxit Valerius dictum Anaxagoræ ad probandum ſapientiſſimos homines ſeruorum morte etiã lætatos eſſe: hic vero induxit, ut dixi in quarta diſceptatione,quaſi ualeat ille concludendi modus; Reſpondit ſe filium genuiſſe mortalem: ergo morte filij lætatus eſt. præterea ille non ſimpliciter locutus eſt de Pericle, ut is nunquam dolori ceſſiſſe uideatur; ſed ſcripſit eum intra quatriduum duob. mirificis adoleſcentib. filijs ſpoliatum, his ipſis dieb. & uultu priſtinum habitum retinente, & oratione nulla ex parte infractiore concionatum eſſe: hic uero ita ſimpliciter locutus eſt, ut Periclem perpetuam ea in re ſeruaſſe animi magnitudinem denotauerit; quaſi non eum mors Parali fregerit, & abiecerit. poſtremo ille non ſignificauit filium Xenophontis in prælio cecidiſſe apud Mantineam pro patriæ ſalute, atq. utilitate, qui mortuus eſt pro ſalute, atque utilitate Lacedæmoniorum, quorum afflictis reb. Athenienſes opitulati ſunt aduerſus Thebanos, & apud quos filij Xenophontis inſtituti fuerunt, ut legitur apud Laertium:

hic

hic uero ſignificauit, cũ amplificans eius factum inquit; Nihil enim ad laudem illuſtrius, quàm in æternam gloriam, aut in patriæ utilitatem intuentem, aut ſalutem, fortiter dolores perferentem, & cum fortuna luctantem negligere humana. & , Neque enim humanis curis implicitus toto animo de patriæ ſalute, atq. utilitate cogitare, aut laudem ſibi præclaris actionib. comparare, uel egregij quidquam ſuſcipere, ac ſuſtinere queat. Quòd ſi excuſetur, quia pugnare pro Lacedæmonijs, quib. opitulati ſunt Athenienſes, ſit quodammodo pugnare pro ipſis Athenienſib. id non recuſabo, dummodo hoc mihi detur, ſcriptorem iſtum potuiſſe cautiorem eſſe. SIG. *Ex Romanis à Fabio potiſſimum orſus eſt, propter inſignem fortitudinem in laudando filio mortuo declaratam: & quia Fabium in omnibus ſuis libris uirtutis admiratione captus præcipue celebrauit. Cui tamen Puluillum ita ſubiunxit, ut eum tamen ætate ſuperiorem ſignificarit, inquiens; Quod ſingulare uirtutis exemplum fortaſſe Horatij Puluilli laudem magna ex parte diminuere uideatur.* RICC. *Quemadmodum Anaxagoras Periclem, Pericles Xenophontem ætate anteceſſit: ſic Puluillus longe ante Fabium floruit: ſiquidem ille fuit conſul anno primo libertatis Romanæ, qui fuit poſt Romam conditam 244. & Aedem Iouis Capitolini dedicauit, uel eodem anno primo, ut Liuius, uel tertio, ut Dionyſius ſcriptum reliquit; cumq. dedicaret, auditam*

filij

filij mortem forti animo tulit: hic uero cognomine Verrucoſus, & Cunctator, quinque conſulatuũ, quos geßit, primum adeptus eſt, an. urbis 520, ut facile ſit intelligere, quantum alter altero fuerit antiquior. Quamobrem, cum ſine ullo materiæ detrimento nominari omnes ex ordine temporum potuerint, magis laudaſſem, ſi non ſolum inter Græcos, commemoratus eſſet ſtatim poſt Anaxagoram Pericles Anaxagoræ diſcipulus, & poſt Periclem Xenophon: ſed etiam inter Romanos primum Puluillus, inde Fabius: tamen non negaui etiam aliter fieri potuiſſe. SIG. *Attendiſti potiſsimum S. Hieronymi ordinem. At is exempla Ciceronis non exacte ſibi recitanda, ſed rem tantum indicandam conſtituit.* RICC. *Id certo ſcire non potes.* SIG. *Neque omnia protulit.* RICC. *Id nuſquam apparet.* SIG. *Neque eodem ordine recenſuit.* RICC. *Nemo id tibi aperuit. An uero, quia iſtam ſimulatam Conſolationem pro uera defendis, tam tuto argumentaris? Mihi uero ueriſimile uidetur, S. Hieronymum, Ciceronis ſtudioſum, cum illa ſcribebat, habuiſſe præ manibus ipſius Ciceronis Conſolationem; & multo melius recenſere omnia potuiſſe, quàm iſte fecerit imitator.* SIG. *Habuerit: non tamen ille Ciceronem de Græcis loquens nominauit, ſed Græcos.* RICC. *Hinc nimirum apparet, uerſatum eſſe magis Ciceronem in exemplis Romanorum, quàm externis.* SIG. *Idem Hieronymus, cum Periclem præpoſuit, non ſe eum à Ci-*

cerone

cerone ſumpſiſſe,ſed à Græcis oſtendit. Ricc. *Non dixi eum à Cicerone ſumpſiſſe, ſed Xenophonti præpoſuiſſe, ut meliorem ordinem ab eo ſeruatum eſſe,quàm ab imitatore ſignificarem.* Sig. *Si ergo non ſumpſit,ab eo recedere potuit.* Ricc. *Certe potuit: ſed fortaſſe non debuit.* Sig. *Sumpſiſſe tamen ſignificas,cum ipſum præ manib. habuiſſe tum dicis,cum hæc litteris,poſteritatiq. mandauit.* Ricc. *Quaſi uero, cum eſſet in bibliotheca ſua,& materiam Conſolationis pertractaret, non potuerit etiam ante oculos habere alios libros, quàm Conſolationem Ciceronis.* Sig. *Dum inſtas in hunc modum; Hic nominat Harpagum, Dionem, & Præxaſpem, quos nemo à Cicerone commemoratos eſſe teſtatus eſt, ergo Cicero eſse non poteſt; uideo,quid agas, cui rei ſtudeas, quò conſilia referas. quippe ancipitem iam mucronem intentas,ut celerius imitatorem conficias,ſi duplices euadere non poſse ictus tuos intelligas. Nam ſi hos ab alijs nominatos dixero,ipſum argues furti: ſi abnuero,impudentiæ.* Ricc. *Pace tua dixerim,nugaris. Nam, ſi à Cicerone commemoratos eſse aliquorum teſtimonio conſtaret,ex hoc capite Conſolationem ſuſpectam non haberem, nec auctorem eius ob id furem appellarem, ſed, cum in hoc poſse eſse Cicero uideretur,conſiderarem, an ob alia dubitari de eo poſset. Iam non prorſus negaui exempla Harpagi, Dionis, & Præxaſpis à Cicerone allata eſse: ſed propter eam,quam habeo*

de iſta Conſolatione ſuſpicionem, ſcripſi id mihi certum non eſse. Si ipſe aliunde exploratum habes, profer teſtimonia: ſin minus, non debes profecto tantum confidere iſtius Conſolationis auctoritate, niſi prius eam eſse Ciceronis omnibus perſuadeas. SIG. *Neque hæc exempla Ciceronis eſse, probare neceſſe habeo: nam etiam Ciceronis eſſe, ſine eiuſmodi probatione hic liber poteſt: &, ſi forte laborem probandæ omnibus Conſolationis ſuſcepero, fruſtra ſuſcepero. Etenim tu re comperta, ſtatim, ſicut de Socrate inquit apud Platonem Clitipho, tamquam aliquis è machina Tragica Deus exclamabis, Quò ruitis? Cauete, ne hanc Ciceronis eſſe credatis, hoc eſt inepti opus imitatoris, & ad cunnum nati.* RICC. *Si permittis, dicam te rurſus nugari, profecto ſi Ciceronis eſſe ſine huiuſmodi probatione hic liber poteſt, tibi poteſt, & paucis quibuſdam, quos tua auctoritate corrupiſti, non mihi, & alijs tam multis. Quamuis autem exiſtimem iſtud opus non eſſe Ciceronis, ſed parum apti imitatoris, atq eius, qui propter ignorationem artis incurrat ſæpe in ſermonis obſcænitatem, non tamen me exiſtimo, ut dicis, tamquam aliquem è machina Tragica deum, quo parũ indigent tuæ ſatis infirmæ accuſationes: ſed quemadmodũ fabulæ Tragicæ ad extremum Deo, & machina egent* διὰ τὸ τὰς πρώτας ὑποθέσεις ψευδεῖς, καὶ παραλόγους λαμβάνειν, *ut ſcribit Polybius lib. 3. hiſtoriarum, Tragici enim poetæ, inquit*

Cicero lib. 1. *de natura Deorum, cum explicare argumenti exitũ non poſſunt, confugiunt ad Deũ: ſic, ſi uolueris omnes res perplexas, & inuolutas, quæ contra iſtum librum afferuntur, non meas, quas appellare ſoles, næuos, & crepundia, ſed aliorum multorum, qui mecum ſentiunt, uideo te uere tamquam aliquem è machina Tragica deum eſſe oportere.* SIG. *Meminit, inquis, Cæpionis, Lepidi, & C. Cottæ, de quibus ſe dubitare Cicero ſignificauit, cum Atticum conſuluit. Eſto, quid mirum? dubitauit, re incognita, affirmauit, perſpecta; conſuluit, cum hærebat, ſcripſit, cum exploratum habebat,* RICC. *An uero id tibi declarauit aliquis, quaſi è machina Tragica deus? tantum'ne credis iſti imitatori, ut omnia, quæ ipſe narrauit, pro certiſsimis habeas?* SIG. *Aperuit id mihi ipſemet Cicero, qui eodem tempore, cum ſcriberet libros de finib. L. Tubulum, de quo pariter hæſitans ad Att. retulit, in ſecundo repoſuit.* RICC. *Non eſt par ratio de L. Tubulo, nam libri de finib, nemini ſuſpecti ſunt, in quibus exemplum ipſius Tubuli, capto prius conſilio ab Att. poſitum eſt; hic uero eam apud pleroſq. ſuſpicionem habet, ut, niſi appareat alijs auctoritatib. ea exempla fuiſſe à Cicerone celebrata, non tam facile ob unam iſtius imitationis auctoritatem id credi debeat. Fieri enim poteſt, ut uerſutus imitator ea uoluerit recenſere, ut ob rerum, quæ alibi non inuenirentur, nouitatem facilius lectores falleret.* SIG. *Si incertus eſt hic*

liber, tu effeciſti. Ricc. *Hoc nimirum eſt, de quo tantopere conquereris, etiam ſi næuos, & crepundia nomines.* Sig. *Ac ab eo quidem ſic abhorres, ut ne legere quidem ſtudio paullo intentiore uolueris. Neq. enim, ſi animum attendiſſes, C. Cottam filium, pro Rutilia matre exemplum fortitudinis inuerſo plane totius rei ordine protuliſses.* Ricc. *Hoc ipſum etiam in tuis orationib. mihi obieciſti. ſed non reſpondi, quia dignum reſponſione nō arbitrabar. Nunc, quoniam me rurſus laceſſis, reſpondeo, cum enumeraui illa exempla, non dixiſſe me exempla fortitudinis, ut tu plus nimio interpretaris, ſed ſimpliciter exempla, in quib. fuit mors C. Cottæ, quam Rutilia mater æquo animo tulit. nec me valde erraſſe exiſtimo, cum mater, & filius ita inter ſe referantur, ut una perſona nominata, etiam altera intelligi poſſit. Hoſcine tu næuos, hæccine crepundia intueris, & totum corpus negligis?* Sig. *Exemplum Rutiliæ Seneca ab hoc libro in ſuum tranſtulit iiſdem prope uerbis. ex quo apparet hunc librum eſſe Ciceronis.* Ric. *Nunc dicis iiſdem prope uerbis. In orationibus tuis ſimpliciter dixiſti, iiſdem uerbis. Reuoco enim tibi in memoriam hic tuum dictum, Repetere volo, ne diſſentientium aures fortaſſe preteruolet, Senecam in ſua Conſolatione Rutiliæ factum iiſdem uerbis, quib. hic, prodidiſſe. Cum autem oſtenderim non eſſe eadem uerba, nunc tu te emendans dicis, prope iiſdem.* Sig. *Tu eſſe ſimilia negas?*

gas? quid poteſt magis? Ric. *Non nego eſſe ſi-
milia, ſed eadem. Addo, fieri poſſe, ut & Seneca à
Cicerone, hoc exemplum acceperit, etiam ſi id ex
uerbis Senecæ non appareat, & hic imitator à Se
neca ſumpſerit, quemadmodum etiam alia. Veriſi-
mile enim eſt, priusquàm iſtam conficeret imitatio
nem, eum inter ceteros Senecam legiſſe, qui ean-
dem rem tractat.* Sig. *Ego autem dico Senecam
non aliunde, quàm à Cicerone ſumere potuiſſe.*
Ric. *Nego hoc ἀδύνατον.* Sig. *Satis conſtat, ne-
minem ante Ciceronem de Rutilia litteris prodi-
diſſe, quia ipſe conſulto Attico eam primus inueſti
gauit.* Ric. *Hoc fateor.* Sig. *Neq. poſt eum.* Ric.
Hoc nego. Sig. *Quia, ut inquit Pedianus, aucto-
res rerum non perinde in domib. & familijs fœmi
narum, niſi illuſtrium, ac uirorum nomina tra-
diderunt. hæc autem illuſtris non fuit, ut quæ* Ci-
ceroni incognita fuerit. Ric. *Quaſi vero poſt com
memorationem eius habitam à Cicerone in Con-
ſolatione factum ipſius redditum nõ ſit ita illu-
ſtre, & clarum, ut ab alijs ſcriptorib. ante Senecam
celebrari non potuerit. Sed acceperit Seneca à ſolo
Cicerone. ergo iſte imitator, ſi eſt uere imitator, ut
probaui, non potuit accipere à Seneca?* Sig. *Di-
cis, te ueriſimilia ſequi, & ulterius, quo progredia
ris, non habere. & ego idem dico.* Ricc. *Immo a-
liud ſignificas, cum me reprehendis, quaſi tituban
ter, ac timide agentem; quaſi tu cenſeas, aſſeueran
tius agendum quemadmodum tu facis. Sed uide,*

an de iſta Conſolatione merito id facere poſſis. SIG. *Dubitare te dicis: & tamen uictoriam te ſperare adiungis.* RIC. *Hæc inter ſe non repugnant.* SIG. *Nihil affirmare te addis: & tamen aſſeueranter omnib. aduerſaris.* RIC. *Hoc nempe ſolebant facere illi, qui nihil affirmabant, ut probabiliter aduerſarentur illis, qui omnia aſſeuerabant.* SIG. *Neque unquàm uehementius reſiſtis, quàm cum te cedere fingis.* RICC. *Vere cedo: ſed fortaſſe cum meis tantum næuis, & crepundijs uideor reſiſtere.* SIG. *Verum, quoniam de reb. ſatis dictum eſt, ad uerba diſputationem iam conferamus.*

PRO SEXTA CONIECTVRA, quòd quædam ſint minus Ciceroniana.

SIGONIVS.

AFFIRMASTI, *elocutionem Conſolationis tibi uehementer eſſe ſuſpectã; eamq. magnifaciendam eſſe docuiſti Socratis dicto, qui cum hominẽ quendam decorum, & eleganti forma conſpicuum, omnibuſq. corporis ornamentis præditum diutius tacentem intueretur: Loquere, inquit, ut te uideam: ſignificans ex ipſa potiſſimum locutione homines eſſe conſiderandos. conqueſtus præterea es, quòd miris Tragœdijs excitatis contenderim, nec te, nec alios,*

alios,qui elocutionem huius libri minime Ciceronianam eſſe putarunt, uerum putaſſe; ac gratulatus ſim huic maxime ſæculo ſuperbum iſtud aurium'ne, an animi tui iudicium, qui pauca quædã uerba faſtidias,teq. temeritatis accuſauerim, qui falſum crimen temere ſimulaueris. Equidem de quærenda, atque obſeruanda dignitate, atque elegantia dictionis tibi uehementer aſſentior. dictum uero illud Socratis quorſum pertineat,haud facile animo aſſequor. ille enim ex ſermone adoleſcentis certum prudentiæ ſpecimen elicere ſtuduit: tu de oratorio ornatu, atque adeo de ipſius orationis, ut ais,munditia diſſeris. R I C C. *Non eſt dubium, quin elocutio prudens indicet animum prudentẽ, & elegans elegantem.omnino elocutio indicat hominem,&,qualis is ſit,oſtendit,qui apparet quidẽ potiſſimum ex ratione, ſed ratio apparere non poteſt niſi ex oratione.* S I G. *Duas in primis, ut uideo,res tibi à me obiectas eſſe expoſtulas,ſuperbiã aurium,& ſimulationis temeritatem.* R I C C. *Immo uero etiam ſuperbiam animi.* S I G. *Cum Cicero in oratore Aurium iudicium ſuperbiſſimum, ad Herennium, Aurium ſenſum faſtidioſiſſimum eſſe tradiderit, tu id propriæ ignominiæ loco accipies; &,quod omnibus a natura hominib. eſt tributum,ipſe præcipue recuſabis,ac communem humanæ naturæ condicionem tu potiſſimum aſpernaberis? Vide, ne,dum te uerecundum eſſe defendis, omnem illam,quam aucuparis, modeſtiæ commen*

 datio-

dationem hac una expoſtulatione corrumpas.
RICC. *Si Cicero in Oratore Aurium iudicium ſuperbiſſimum, & tuus ille Cicero ad Herennium (faues enim iſtis ſimulatis ſcriptoribus) Aurium ſenſum faſtidioſiſſimum eſſe tradiderunt, cum communiter ſenſum notauerint, nemini iniuriam fecerunt: tu uero, cum communem notam minime reſpexeris, ſed me ſpectans, ſuperbientes huius ſæculi homines irriſeris, ac non ſolum aurium, uerum etiam animi ſuperbum iudicium reprehenderis; cui putas te perſuadere poſſe, abs te nullam mihi iniuriam factam eſſe? nonne ſignificaſti, arrogãs, inſolens, imperioſum, non ferendum iudicium? Non igitur humanæ naturæ conditionem, ego potiſſimum, quaſi beſtia ſim, aſpernor: ſed humanam iniuriam animaduerto: nec aliud magis doleo, quàm quòd diſſimulare manifeſtam iniuriam uelis. Vide igitur tu, ne, dum ſuperbiam iſtam defendis, eam tibi uindicare, & humanæ modeſtiæ fines prætergredi uidearis.* SIG. *Illud uero alterum te prorſus ſine ratione moleſte tuliſſe uideo, quòd dixi, oblatum huic ſcriptori neglectæ Latinitatis, atque elegantiæ crimen graue eſſe, ſi uerum eſſet, multo grauius, ſi temere ſimulatum, quia reſpondens, temerarium te ſimulatorem eſſe negaſti. Ego enim crimen temere ſimulatum uocaui fortuito, ac ſine longa, ut ſæpe fit, animi meditatione conflatum, atque, ut dixit Cicero, temere effutitum.*
RICC. *Ego uero prorſus cum ratione id moleſte*
tuli;

tuli; eoque maiorem habeo cauſſam tecum expoſtulandi, quòd me adeo temerarium eſſe arbitraris, ut mihi perſuadere poſſis, qui temere ſimulat, temerarium ſimulatorem non eſſe. Sed, qui menti, ut poetæ loquuntur, calor incidit, nolo nunc ſequi, quo cunque poſſet ducere. SIG. *Tantum abeſt, ut, quod alienum erat, Tragœdias, quas obijcis, excitauerim, ut ne honeſtum quidem, quem mihi interdum res concedebat, riſum captauerim.* RICC. *Et latratum, & Tragœdiarum excitationem tu prior mihi obieciſti his tuis uerbis; Quæ cum ita ſint, quid eſt, quòd huic commentario tam acriter oblatrent, ac tãtas propterea Tragœdias excitent? Quo modo autem tu Tragœdias excitaueris, facile eſt cognoſcere, cum ex alijs locis, ubi Ciceronem loquentem induxiſti, tum ex eo; Deſinite mihi maledicere, &, quæ mea ſunt, mihi detrahere, &c. Quòd uero riſum commemoras, deſine quæſo eum commemorare, ne in animum reuoces, quàm res ſit ridicula, res tam ridiculas defendere.* SIG. *Verũ hæc, ut ex animis noſtris, ſic ex ſermone noſtro remoueamus.* RICC. *Vt facies, faciam, & tuis prorſus ueſtigijs inſiſtam.* SIG. *Perge igitur, &, quæ habes de uitijs huius elocutionis, profer.* RICC. *Num tu librum illum Ciceronis eſſe tibi perſuadere poteris, in quo uerba multa non Ciceroniana legantur?* SIG. *Quæ tu tandem uerba non Ciceroniana uòcas?* RICC. *Quæ in alijs libris Cicero non adhibuit.* SIG. *At nullus tam puſillus*

ſillus liber eſt Ciceronis, qui non aliquot uocibus textus ſit alibi ab ipſo non uſurpatis. RICC. *Haud quaquam hæc mihi incognita ſunt. illo uno offendor, quòd in ceteris libris pauca uerba, in hoc non dico omnium breuiſſimo, ut tu me loquentem facis, ſed paruulo opere, & tantulo libello multa legantur.* SIG. *Age uero, nonne breuior eſt multo Cato, quàm Conſolatio? certe: eſt enim dimidio minor: at multo plura ſunt in eo noua, quàm in hac.* RICC. *Hoc aperte nego. Nam ſi ſpectentur non illa ſola, ad quæ meam obiectionem reſtrinxiſti, ſed & illa, quæ ſimpliciter appellaui minus Ciceroniana, quorum etiam quædam in Catalogo tuo omiſiſti, dixi enim non ſolum Indecens non eſſe Ciceronianum, ſed etiam Indecentius, & illum obſcœnum litterarum concurſum tam ſæpe, id eſt nouies uſurpatum) & minus propria, & minus Latina, quæ multo minus Ciceroniana cēſenda ſunt, & non ſolum, quæ in primo iudicio meo enumeraui, ſed etiam, quæ in ſecundo, ad quæ multa quoque alia addi poſſunt: profecto eorum longe maior numerus comperietur, quàm eorum, quæ alibi non uſurpata in Catone obſeruaſti. Sed conferamus, ſi placet, numerum.* SIG. *In Catone ea ſunt; Suſpicor me commoueri: accuſant adeptam: deplorare querelas: agere orationem: ſtudiorum agitatio: funale: magiſteria: rorantia pocula: refrigeratio: deſideratio: ſimiles ut: inſomnia, et cruditas: diritas: occatum: occatio: herbeſcens: geniculatus:*

culatus: erraticus: ſylueſcere: acinus uinaceus: repaſtinationes: conſitiones: inſitiones: ſuccidia: appeti: decedi: aſſurgi: coaceſcere: recoquere: peractio ætatis. Nonne hæc ſingularia in multo breuiori libro multo plura conſpiciuntur, quàm quæ tu in ampliori notaſti? & tamen nemo eis umquã ſic offenſus eſt, ut eum propterea tamquam parum Ciceronianum abiecerit. RICC. *Nemo offenſus eſt, quia nunquam fuit is liber ita occultatus, ut poſtea ſit in lucem productus ſine ullo teſtimonio, unde ex tenebris emerſerit, quis inuenerit, ubi tamdiu occultatus fuerit, & aliarum huiuſmodi rerum, quæ libri nuper inuenti fidem faciunt: quẽadmodum iſte productus eſt, non ſine magna multorum ſuſpicione. Illa uera tam multa, quæ tu af fers, poſſunt aliquantiſper diminui. Nam cur non eſt Ciceroniane dictum in proœmio? Suſpicor iiſdem rebus te, quibus me ipſum, interdum grauius commoueri. Quod uerbum nõ redolet Ciceronem? nonne ubi legitur, Quibus me ipſum, ſubintelligi poteſt aliud uerbum, quàm Suſpicor, ut uideo, ſentio, & ſimilia? Vbi uero legiſti, ſenectutem ut adipiſcantur, omnes optant: eandem accuſant adeptã; legendum eſt adepti. Quod etiam uir in litteris præſtantiſſimus, & antiquæ lectionis obſeruantiſſimus Aldus Mannuccius his uerbis affirmat; Sic legendum ex duodecim meis libris. In Græco κτησάμενοι. Deplorare querelas eſt cum ploratu exprimere, ubi non magnam admodum uideo nouita-*

uitatem, cum utrumque uerbum ſit uſitatum, nec iungendi ratio ſit noua, aut Latinis, aut Græcis, ut ire uiam, uiuere uitam, μεμφομαί σοι μέμψιν δικαίαν, πόλεμον πολεμίζειν. & ſimiliter. Agere orationem non uidetur dixiſſe, etiam ſi ſcripſerit; Appij extat oratio. hoc ille egit, &c. Egit, ideſt, illa dixit, quæ uerſibus perſecutus eſt Ennius, & Romanos libere reprehendit. In quibuſdã etiam libris legitur Geſſit, pro, Egit. Sed hoc parum ad rẽ. Accedit, quòd Agere orationem pro eo, quod eſt pronunciare, uidetur dictum ex Latine loquendi conſuetudine; cum aliud nihil ſit, quàm orationẽ ipſam, quaſi quandam in ſcenam, aſpectumq. deducere, ut Agere fabulam, Agere, & tractare locos dicendo, Agere cauſſam. Studiorum agitatio, cur Ciceroniane non dicitur, ut Mentis agitatio? Funale proprium eſt, & cum ipſa re natum uerbũ, quod Cicero, ſi uſu ueniſſet, non ſemel, ſed ſæpe, & ſæpius uſurpaſſet, ut etiam Florus uſurpauit, quem ueriſimile eſt è Liuio huiuſmodi uocabulum ſumpſiſſe, cum ſcripſit in Epitoma 17. C. Duillio perpetuus honos habitus eſt, ut reuertenti a cœna tibicines canerent, & funale præferretur. Mentionem fecit de poculis minutis, atque rorantib. ſpectans Xenophontis, quem citauit, uerba, μικραῖς κύλιξι, καὶ ψεκάζωσιν. Si conuertendi uerba Xenophontis in Sympoſio alibi occaſionem habuißet, idem ſine dubio feciſſet. Quòd ſi qua uerba nouaſſet, uideretur magno quidẽ artificio nouaſſe, quod

artiſi-

artificium in Conſolatione minime requirebatur. obſeruari enim poteſt, & in rebus triſtibus priſca adhiberi, ut in Philippicis, Ego mortem actutum futuram puto: & in lætis noua uſurpari. Itaque mirum non eſſet, ſi Cicero, cum ageret de uoluptatibus ſenectutis, nonnullas ex his uocibus nouaſſet, Funali, Rorantia, Refrigeratio, Deſideratio, Herbeſcentem, Geniculate, Acino uinaceo, Erratico, Syluescat. Quamquam hæc poſtrema uideantur eſſe propria Agriculturæ, ut etiam alia. Quis enim non uidet, cum uocabula artium non ſint immutanda, Occationes, Repaſtinationes, Conſitiones, Inſitiones, eſſe uocabula artis ruſticæ; quarum uſus non iccirco in Ciceronis ſcriptis rarus eſt, quia ipſe ab eis abhorruerit, ſed quia de huiuſmodi rebus raro locutus ſit. Succidia uero, uox maxime uſitata, quippe quæ etiam in prouerbio eſſet, cũ hortum ipſi agricolæ ſuccidiam alteram appellarent, ſemel à Cicerone uſurpata eſt, quia utendi huiuſmodi prouerbio nunquam aliàs ei occaſio oblata eſt. Id quod reſponderi debet de certo, & uero Cicerone, non de iſto tuo incerto, & ficto, qui, propter incertam & ſimulatam auctoritatem ſuam, quæcunque ipſe ex arbitrio uſurpauit, non facile poteſt omnibus tamquam Ciceronis uenditare. Magiſterium autem morum legitur de prouinc. conſ. Similes ut, corrupte legitur. Negat Langius, ut teſtatur Dionyſius Lambinus, reperiri hæc uerba, Similesq. ſunt, in libro uetere, & cenſet delenda.

da. & idem Lambinus affirmat, in membrana antiquiſsima P. Danielis Aureliani primo ſcriptum fuiſſe, Simileſq. ſunt ijs, qui gubernationem, &c. deinde alia manu poſtea ſupraſcriptum, Vt ſiqui, &c. Salua tamen & integra priore, & antiquiore ſcriptura. Itaque hæc lectio controuerſa non adiuuat nouitatem tuam. Cruditate, & Inſomnijs, eſt Ciceroniane dictum. De cruditate non eſt dubitandum, cuius multa ab alijs afferuntur exempla. Ad Att. Hæc metuo, ne inſomnia ſint. Si legis Inſomnia ſingulariter, praue legis. Diritas, & Duritas ſunt uoces Ciceronianæ. In Vat. Quamquam ſis omni diritate, atque immanitate teterrimus. In Tuſc. Siqua inuecta diritas caſu foret. In Oratore: Duritas, & ſeueritas, & quaſi mæſtitia orationis. Vbi legis, Occatum, Nonius legit Occæcatum, cum ſcribit; Occationem ab occæcatis ſeminib. qua id efficitur, dici M. Tullius uoluit de ſenectute. Sparſum ſemen primum id occæcatum cohibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt, quam lectionem agnouit quoque Mannuccius. Vox autem Occæcare, & Occæcatus Ciceroniana eſt. Appeti apud Ciceronem ſæpe paſsiue dictum eſt. Decedere eſt uox Ciceroniana, unde Decedi imperſonale; & Aſſurgi imperſonaliter de Inuen. Vt maioribus nata aſſurgatur. Vt Ciceroniane dicitur Fabulam ætatis peragere; ſic poſſe dici uidetur, Aetatis peractio. Iam uides, quanta tui numeri diminutio facta ſit. Numeremus modo, quæ in iſta notaui

Conſ. & uideamus non ſolum, an horum numerus illorum numero æquari poßit, uerum etiam, quanta ſit differentia inter hæc, ubi nonnunquam etiam ſolœciſmus adhibetur, & illa, in quibus tale uitium reprehendi non poteſt. Ea igitur ſunt; Compage: Immerentes: Infeliciter: Vagitus, duobus in locis uſurpatus: Deſpondeat animum: Indecentius: Indecens: Oſor: Detractor: Lætabundas: Lacedæmones: Abſurditas; Imperitia: Cum nullo dolore: Cum nominis gloria: Cum noſtro uulnere; Cum nullo ſenſu: Cum neminem: Cum nec: Cum natura; Cum nihil niſi rectum: Cum nihil niſi quod rectum: Ad futuram uitam, tamquam ad patriam euolare: Præfinitum eſſe uitæ terminum, quem præterire nemini liceat: Animum ſimul cum homine interire: Filio ſuo, pro filio eius: Pœnitendum ſtatum: Is ſe hominem eſſe meminerit, ut, ſi mors ab eo abeſſet, Dijs propior haberetur: De quo eſt apud Herodotum illum Xerxi reſpondiſſe: De quo traditum eſt, nihil eum putauiße; Lacænas matronas traditum eſt conſueuiſſe, ac ſolitas eſſe, contra uero curabant, nec ſtatuebant. His acceſſerunt tam multa, quæ in ſecundo meo iudicio collegi. Quæ omnia coniuncta cum tot rebus abſurdis, ſatis declarant iſtum librum Ciceronis non eße. Sig. *Dixeras etiam Captiuitatem eſſe uocem minus Ciceronianam: & tamen ea uſurpata eſt in oratione pro C. Cornelio.* Ricc. *Eam bis in iſto libello uſurpatam intellexeram eße minus*

Cice-

Ciceronianam,id eſt,minus, & rarius à Cicerone uſurpatam,& quidem minus,ſi cum uocib. a Cicerone frequentatis compararetur,cum inueniatur ſemel in fragmento orationis pro Cornelio apud Aſconium; quam à Mario Nizolio inter eas, quæ Ciceronianæ non ſunt, notatam, uideo quidem te unico probaſſe exemplo eſſe Ciceronis, ſed de ea ſola, ut aliàs dixi, gloriari fortaſſe non debes.
SIG. *Quid? ſi alias quoque eiuſdem eſſe demonſtrauero?* RICC. *Expecto, dum hoc facias.*
SIG. *Sunt Plauti,Terentij,Lucretij,Virgilij,Saluſtij,Liuij,Suetonij,Taciti,& aliorum illius memoriæ ferme æqualium. ergo ſunt Ciceronis.*
RICC. *Primum huiuſmodi conſecutionem negaui,nego, & in perpetuum negabo. Non enim ſequitur,quibuſcunque uocibus illi uſi ſunt, omnib. Ciceronem quoque uſum eſſe. Deinde,cum præter illos citaueris Martialem, & Vegetium, uideris illos ipſos ſignificaſſe, cum dixiſti, aliorum illius memoriæ fermè æqualium: & tamen tu ipſe ſcis, quàm longe hi ſæpe diſceſſerint a linguæ Latinæ candore.De Martiali ſic ſcripſit Raphael Volaterranus; Reliquit epigrammatum librum omnino reijciendum, quippe qui neque elegantiæ Latinæ, neque moribus proſit. Vegetius ſimiliter in multis parum Latinus eſt: ut mirum ſit,te uelle etiam hos,ſi Dijs placet,ipſi Ciceroni æquare. Præterea, cum metaphoram, & analogiam maxime probẽ, non tamen adhibitam eſſe arbitror à Cicerone in*
illis

illis uocib. niſi id alicuius loci auctoritate probetur. Nec quæro, utrum ipſis Cicero uſi potuerit, nec ne, qua de re poſſunt eſſe uariæ hominum inter ſe, diſcrepanteſq. ſententiæ, quæ ſibi ſuo arbitratu Ciceronem conforment, ſed an uſquam uſus ſit. quod quia ego infitior, & tu, qui probare debes, nō probas, niſi per inanes quaſdam tuas conſecutiones, uter noſtrum melius ſentiat, alii iudicabunt. Sed pergamus ulterius. SIG. *De iungenda dictione Cum, uocib. incipientib. à littera N. ita, ut ante, reſpondebo. Locus oratoris intelligendus eſt de præpoſitione Cum, iuncta cum uocib. incipientib. à No, ne obſcæne dici uideatur, Cunno. id quod ipſa exempla ab eo, et Quinctiliano, & ceteris allata demonſtrant. Quare neq. cum hic ſcripſit, Cum natura, aut Cum nullo, neq. cum Virgilius dixit, Cum nauib. obſcæne locuti ſunt.* RICC. *Si, quod tu ipſe interpretaris, uerum eſt, ſequitur nihilominus nec auctorem Conſolationis recte ſcripſiſſe, Cum nominis tui gloria, nec ne recte dixiſſe in ſecunda oratione tua, Cum noſtris neceſſariis, quia præpoſitio Cum iuncta eſt cum uoce inchoante à No. Quamquam tibi concedere non poſſum, præceptum illud tam ſtrictim intelligendum eſſe, cum obſcœnitas repræſentetur, non ſolum ſi dicatur, Cum no, ſed etiam Cum nì, Cum ne, & ſimiliter. Auctoritas enim Quinctiliani generatim probat inter dictionem Cum, & uocem inchoantem à littera N. ſiue ſit ſyllaba Na, ſiue Ne,*

ſiue Ni, ſiue No, ſiue Nu, aliquid interijciendum eſſe, quia in dictione Cum littera M, quæ exprimi niſi labijs coeuntib. non poteſt, aut interſiſtere nos indecentiſſime cogit, aut continuata cum inſequente in natura eius corrumpitur, quæ ratio ualet de qualibet uoce incipiente a littera N. & dictioni Cum adhærente, ac notat deformitatem, aut interſiſtendi, aut corrumpendi litteram M, dum mutatur in N. SIG. *Si Quinctilianus uerba illa ſua tibi uidetur ad alia retuliſſe: aut exemplum certe ad Cum no tantum accommodauit.* RICC. *Egregie. Exemplum eſt, ut ita dicam, ſpeciale. ergo quod exemplo probatur, non poteſt eſſe generale? Nonne Ariſtoteles declarauit id, quod per ſe ſubſiſtit in hunc modum?* ἔστι δὲ οὐσία μὲν, ὡς ἐν τύπῳ εἰπεῖν, οἷον ἄνθρωπος, ἵππος. *Quemadmodum igitur ſubſtantia eſt, ut homo, equus, non tamen omnis ſubſtantia eſt homo, equus: ſic iunctio prohibita uocis Cum, & uocum incipientium à littera N, eſt, ut Cum no: at non omnis iunctio prohibita eſt Cum no, poteſt enim eſſe Cum na, Cum ni, Cum ne, Cum nu. Itaque apparet generale eſſe præceptum, etiam ſi exemplum ſit ſpeciale, cum ratio allata à Quinctiliano ſit generalis. Et auctoritas Priſciani, quãuis agat tantum de uitato cacephato, cum dictum eſt Nobiſcum pro cum nobis: non tamen iccircò alia admittit cacephata. Nec excuſatur Cum natura, quia Virgilius dixerit, Cum nauibus. nam & ibi cacephatum eſſe notauit Seruius. Et non*

ſolum

ſolum Cum natura non excuſatur, ſed ne Cum nullo quidem, quia obſcœnitas eſt in concurſu litterarum uocem obſcœnam quodammodo repræſentantium. Sig. *Ergo tu Seruij magis, quàm Virgilij auribus, ac iudicio ſtabis? præſertim uero cum ille etiam Dorica caſtra apud eundem animaduerterit, & alia omnia eiuſdem generis, quib. tamen uidemus Virgiliũ eſſe plurimis delectatum?* Ricc. *Tunc maxime Seruij iudicio ſtabo, cum ex præceptis ipſe iudicauerit, quemadmodum de hoc loco feciſſe mihi uidetur.* Sig. *Quid de cæteris, ut Cum noſtro uulneri medeamur, & ſimilibus? An uero etiam de illis Cicero locutus eſt? Non puto. Itaq. & ipſe, & reliqui Latini ſic aliquãdo ſcripſerunt.* Ricc. *Non negaui Ciceronem, aliosq. ſic interdum eſſe locutos: ſed dixi, non ſæpe.* Sig. *Ratio, cur de illis Cicero locutus non ſit, mihi uidetur eſſe, quòd in ijs non eſt Cum præpoſitio, ſed aduerbium Quum.* Ricc. *At ſiue præpoſitio Tunc, ſiue aduerbium Quum iungatur cum uoce incboante à littera N, obſcœnum facit. Nam ſi dicatur, Quum nos te uolumus conuenire, Quum aduerbium eſt, & tamen, teſte Cicerone ad Papyrium Pætum, obſcœnitatem habet.* Sig. *Vide, quæſo, ne ſecus ſit. Cicero enim ibi nullam, nec in re, nec in uerbo hærere obſcœnitatem contendit. Siquidem ita ſcripſit; Quid, quòd uulgo dicitur, Quum nos te uolumus conuenire, num obſcœnum eſt? Inde addit; Memini in ſenatu diſertum conſu-*

 larem,

larem,ita eloqui, Hanc culpam maiorem,an illam dicam?potuit obſcœnius ?non,inquis: non enim ita ſenſit. non ergo in uerbo eſt obſcœnitas. Quippe declarauit,ſe nec Quum nos,neque An illam, obſcœne edita reputaſſe, quia,qui id dixerunt, non id uoluerunt. Quare,ſi in ſermone nulla erat ſita deformitas,multo minus in ſcripto. RICC. O miram ſubtilitatem, Quis non uidet ibi Ciceronem paradoxum Stoicorum defendere, quibus placebat ſuo quamq. rem nomine appellare? Supponit igitur Cicero,cum uulgo dicitur, Quum nos te uolumus conuenire,obſcœnum eſſe ex linguæ Latinæ conſue tudine,quam obſcœnitatem etiam prohibuit in Ora tore ſuo: ſed tamen ex opinione Stoicorum per iocum (tota enim illa epiſtola iocoſa eſt) non eſſe obſcœnum diſputauit. In fine tamen epiſtolæ contra ſcholam Stoicam ait, ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔστι,quaſi dicat, ut explicat Paullus Manutius,magnum lumen Latinitatis; Stoici ſuperiora illa diſputant: mihi autem hoc uidetur, ſapientem ita loqui debere,ut obſcœnitatem uitet: quod ego facio, Platonis uerecundiam ſeruans. Vides igitur ex communi conſuetudine Latinæ loquendi,& ex præceptis ora torijs,nihil intereſſe,quod attinet ad obſcœnitatem, utrum dicatur, Cum nos,an Quum nos:utrumque enim obſcœnum eſt,etiam ſi Stoici παραδόξου loco differant,nihil eſſe obſcœnum, nihil turpe dictu cuius rei rationem Ariſt. lib. 3. Rhet. appellat σοφιστικὸν λόγον,& teſtatur,primum à Bryſone fuiſ-

ſe prolatam, quam tamen ipſe ſoluit. eius uerba ſunt, ἔτι δὲ τρίτον, ὃ λύει τὸν σοφιστικὸν λόγον. οὐ γὰρ ὥσπερ ἔφη Βρύσων οὐδένα αἰσχρολογεῖν εἴπερ τὸ αὐτὸ σημαίνει τόδε, ἀντὶ τοῦ τόδε εἰπεῖν. τοῦτο γάρ ἐστι ψεῦδος. ἔστι γὰρ ἄλλο ἄλλου κυριώτερον. καὶ ὡμοιωμένον μᾶλλον, καὶ οἰκειότερον τῷ ποιεῖν τὸ πρᾶγμα πρὸ ὀμμάτων. ἔτι οὐχ ὁμοίως, ἔχον σημαίνει τόδε ὥστε καὶ οὕτως, ἄλλο ἄλλου κάλλιον, καὶ αἴσχιον θετέον. ἄμφω μὲν γὰρ, τὸ καλὸν, καὶ τὸ αἰσχρὸν, ἢ ταῦτα μέν, ἀλλὰ μᾶλλον, καὶ ἧττον. *Dicebat igitur Bryſon, Neminem turpe loqui. Nã ſi duo ſunt, quæ idem ſignificent, aut ambo pariter obſcœna eſſe, aut neutrum. Non ambo, quòd alterũ eorum non eſſe obſcœnum, omnes fatentur. ergo neutrum. Reſpondet Ariſt. id eſſe falſum, primũ quòd aliud alio magis proprium, & ſimilius eſt, & ad rem ante oculos conſtituendam accommodatius: deinde quia ſæpe eadem res aliquo modo eſt honeſta, aliquo modo turpis. Itaque uocabula, quæ exprimunt rem, quatenus eſt honeſta, debent honeſta exiſtimari: quæ exprimunt rem, quatenus eſt turpis, turpia. Quamobrem mittamus ſophiſticas rationes, & a communi linguæ Latinæ conſuetudine, atq. à præceptis Rhetoricæ artis non diſcedamus. Obiter autem, cum interpretatus ſis in hunc modum; Num obſcœnum eſt? quaſi dicat, minime; opinionem meam uideo tua interpretatione confirmari, ut dictio Num præponenda ſit interrogationi exigenti negationem, contra quàm factum eſt in*

iſta Cōſolatione, ubi legitur; Num credamus filij mortem honeſtam, ac pro patria ſuſceptam tali patri futuram fuiße iucundiſſimam? & , Num ei multo melius eueniſſet? Quod uero ais, ſi in ſermone nulla erat ſita deformitas, multo minus in ſcripto, uideris fouere opinionem illorum amicorum tuorum, qui putant elocutionem ſcriptionis minus exactam eſſe poſſe, quàm dictionis. quod tamen ex doctrina Ariſtotelis ſatis refutaui. Verum, cum adhuc oſtenderim obſcœnitatem repræſentari, non ſolum, ſi dicatur, Cum no, ſed etiam Cum ni, Cum ne, & ſimiliter: & ne me quidem negare, Ciceronem interdum ſic locutum eſſe, ſed uim argumentationis in eo ponere, quòd Cicero non ſæpe, iſte uero auctor ſæpe huiuſmodi obſcœnitate ſermonis uſus ſit: præterea ſiue præpoſitio Cum, ſiue aduerbium Quum iungatur cum uoce inchoante à littera N, ſemper obſcœnitatem eſſe, quæ ad refellenda tria prima argumenta tua pertinuerunt: quid aliud affers? SIG. *Non de re nihil aliud.* RICC. *Recte facis: quoniam duo poſtrema argumenta tua ſatis à me aliàs ſunt refutata.* SIG. *Obiter notaſti in eo loco; Credamus ſanè Apollini Delphico, qui exoratus a Trophonio, & Agamede, à quib. templum magnifice Apollini exædificatum Delphis erat, ut, quod eſſet optimum homini, tribueret, poſt diem tertium exanimes ſunt inuenti; dictum fuiſſe, Apollini exædificatum, pro Ipſi exædificatum. proh Dii immortales, hæc crimina eiuſmodi ſunt, ut aut tu inferen-*

do,

do, aut ego depellendo fatiger? Non'ne Cicero alibi idem, ut docui, fecit? atq. ea loca eiuſmodi ſunt, ut in ijs docti pariter prænomen ſecundo loco libētius audirent. Ricc. *Notaui id, quia, quamuis non damnarem earundem uocum repetitiones, quæ uenuſte fierent; tamen ibi uox Apollini non ſatis pulchre mihi repetita uideretur. Sed addidi τὸ πάντων μέγιστον, in eodem loco ſolœciſmum commiſſū eſſe, Qui exoratus, exanimes ſunt inuenti.* Sig. *Sed iam ueniamus ad ea, quæ tu parum propria nominaſti.* Ricc. *Veniamus.*

PRO SEPTIMA CONIECTVRA, quòd quædam ſint minus propria.

Sigonivs.

EX *minus proprie dictis hoc præcipuum ſtatuiſti, Animum ad futuram uitam, tamquam ad patriam, euolare: & dixiſti te non laborare de ſententia, quæ potuit eſſe eadem & Ciceronis, & Platonis, & noſtrorum Theologorum, ut animi, cum è corporib. exceſſerint, ſi fuerint caſti, puri, integri, incorrupti, bonis etiam ſtudijs, atq. artib. expoliti, in cælum, quemadmodum etiam in priori iudicio ſcripſiſti, tamquam in domicilium ſuum peruenirent. Sed quæſiuiſti de elocutione, ubi nam Cicero eam uitam,*

quæ poſt mortem habetur, appellarent patriam. Ego uocem ipſam non propriam, ſed tranſlatam eſſe confiteor. Tranſlationis autem auctor fuit Plato, qui dixit præſentem uitam eſſe peregrinationem. ex quo ſequitur, ut Cicero futuram, tamquam patriam appellare potuerit. Conſtat enim omnia licere per ſimilitudinem efferre, maxime adiecta particula Quaſi, aut Tamquàm. RICC. *In orationib. teſtatus es, non Platonem dixiſſe, præſentem uitam eſſe peregrinationem, ſed Aeſchinem in Axiocho. Quare uide, quàm tibi conſtes. Sed ut Plato, uel Aeſchines (nihil enim hoc ad rem) dixerit præſentem uitam eſſe peregrinationem, ſequitur'ne continuo, potuiſſe Ciceronem futuram uitam, tamquam patriam appellare? ſi præſens uita eſt tamquam peregrinatio, is potuiſſet fortaſſe dicere ſatis congruenter, Ad futuram uitam, tamquam ad patriæ uſum euolare: ſi quidem ut præſenti uitæ futura opponitur, ſic peregrinationi patriæ uſus; uel in cælum, tãquam in patriam, quemadmodum dixit Cicero in prima Tuſculana, In cælum, quaſi in domicilium ſuum: ſed ad futuram uitam, tamquàm ad patriam, quàm congruenter dicere potuerit, non uideo. Longe enim aliter ſentio, quàm tu ſcribis, Omnia licere per ſimilitudinem efferre: ſed ſimilitudinis conuenientiam requiro. ac, tametſi ſolertis, acutiq. ingenij eſſe intelligo, cernere, quid in reb. multum inter ſe diſtantib. ſimile ſit, ac in diſſimili genere inuenire ſimilitudinem:*

nem: tamen tranſlationes non facile admitterem, quæ parum congruentem habere ſimilitudinem uiderentur; qualis iſta poteſt apparere, ut uita, quæ, ut tradunt Philoſophi, eſt actio animi, appelletur patria, quæ non eſt actio, ſed laus, ubi ipſa actio exercetur. Ac poteſt quidem uita appellari peregrinatio, quæ eſt quoque actio quædam, & fortaſſe etiam patriæ uſus, quia tunc maxime homines uiuere exiſtimantur, cum patria perfruuntur, quo fructu qui propter exilium carent, ciuiliter mortui apud iuriſconſultos dicuntur: ſed, an poſſit nominari patria, quò magis cogito, eò maiorem animo concipio dubitationem. Neque uero hæc mihi eximitur, quòd dicatur Tamquàm, uel Quaſi, quod genus loquendi apud Ariſtotelē dicitur εἰκών, &, ut tradit Cicero, ualet plurimum ad molliendam tranſlationem, quæ eſſe paullo durior uidetur: quia in tranſlatione quantumuis mollita debet, ut dixi, apparere aliqua conueniens ſimilitudo. Quod fortaſſe ſignificauit Ariſtoteles, cum ſcripſit, καὶ λαβεῖν οὐκ ἔστιν αὐτῶ παρ' ἄλλου. quem locum quamuis tu explicaueris, ut multi quoque alij, placere Ariſtoteli, Translationes ex ſe excogitari, nō aliun de aſſumi, ita ut illud Ab alio intelligendū ſit Ab alio auctore: tamen non deſunt, qui explicent, Ab alio, id eſt, longe diuerſo, et parū ſimili. quod efficit τὸ ψυχρὸν ἐν ταῖς μεταφοραῖς, ſi ſint ἀσαφεῖς, pro pterea quòd petitæ ſint, ut ait Ariſt. πόῤῥωθεν. cuiuſmodi iſta metaphora exiſtimari poteſt, qua pa-

tria acipitur pro uita futura. Vtcumque tamen ſit, non debemus quærere, quid potuerit, aut non potuerit Cicero dicere, qua in re falli poſſumus, ſed, quid dixerit, & an aliàs ita locutus ſit. quod eum feciſse quia non probat, non facile tibi aſſentiendum eſse arbitror, hanc metaphoram eſſe Ciceronianam, id eſt, Ciceroni congruentem, & Ciceronis propriam: ſic enim intellexi, & non patriam eo in loco eſſe uocem propriam, ut meum ſenſum praue interpretatus es. SIG. *Alterum minus proprie dictum illud notaſti; Præfinitum eſſe terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat.* RICC. *Minus proprie, id eſt, Chriſtianis, quàm Ciceroni congruentius, cum ex dicto Iob ſumptum eſſe uidetur.* SIG. *Habeo: ſed quis non hanc etiam ſententiam eſſe Platonis, & aliorum gentilium nouit?* RICC. *Ne hoc quidem in loco laboro de ſententia, cum ego quoque legerim in Timæo, Animal unumquodque ab ortu fatale uiuendi ſpatium in ſe ipſo continere: ſed quæro de elocutione, ubi nam Cicero dixerit, præfinitum eſſe uitæ terminum à Deo, qui præteriri non poſſit. quæ elocutio ex capite 14. prophetæ Iob ſumpta eſt. Id ſi oſtenderis, de eo amplius non controuerſabimur.* SIG. *Non eſt, quòd planum faciam, hæc uerba eſſe Ciceronis, quia ad rem non pertinet.* RICC. *Scite ergo ad rem non pertinet oſtendere huiuſmodi elocutionem fuiſſe aliàs à Cicerone uſurpatam, & hoc modo eſſe propriam eius, ut in iſta Conſolatione*

tione non reprehendatur,tamquam ea,quæ ſit magis Chriſtianorũ, quàm Ciceronis? SIG. *Satis eſt, ut oſtendam,non eſſe Iob.* RICC. *Magnum erit,ſi hoc oſtenderis.* SIG. *Sic Iob de homine loquitur; Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterũt:at hic,præfinitum eſse terminum à Deo, quem præterire nemini liceat.*RICC.*Etſi uerba non ſunt prorſus eadem, tamen & ſententia, & eloquendi ratio eadem eſt;Conſtituiſti terminos Deus,Præfinitus eſt terminus à Deo. Qui præteriri non poſſunt, Quem præterire nemini liceat. Quis merito negabit hoc ex illo ſumptum eſſe?* SIG. *Cur potius dicemus Ciceronem ab interprete Iob, quàm interpretem à Cicerone illud,Præterire terminum, accepiſſe?præſertim uero cum cenſet, ipſum Ciceronianum fuiſſe.* RICC. *Non eſt dicendum,Ciceronem ab interpretẽ Iob huiuſmodi dictum accepiſſe, ſiquidem Cicero ante Chriſtum natum floruit, at S. Hieronymus interpres Bibliorum poſt Chriſti natalem diem circiter annum quadringenteſimum:ſed eſt putandum iſtum recentem ſcriptorem Conſolationis, iſtum perſonatum Ciceronem ab ipſo S.Hieronymo mutuatum eſſe. Et,ut interpres Iob modum dicendi à Cicerone acceperit, quem tamen huiuſmodi umquam ſententiam protuliſſe non cõſtat,etiam iſte imitator potuit ab interprete accipere.* SIG. *Si,quia aliquis liber habet aliqua uerba ſacrorum Bibliorum,idcirco Ciceronis non eſt;ne liber quidem primus de natura deorum*

rum erit Ciceronis,quia ibi ſcriptum ſit,Nihil ſem per in ſuo ſtatu manet: at uero apud Iob eodem in loco, Homo numquam in eodem ſtatu permanet. RICC. *Non dico ualere hoc argumentum, Aliquis liber habet aliqua uerba ſacrorum Bibliorum, ergo Ciceronis non eſt: fieri enim poteſt, ut aliquod dictum ſit commune & Biblijs ſacris, & Ciceroni, quemadmodum illud, quod protuliſti: ſed exiſtimo hoc ualere; Liber habet dictum ſacræ ſcripturæ, quod eſt in ore Chriſtianorum, quodq. non apparet à Cicerone umquam uſurpatum eſſe, & habet alia multa, quæ minime redolent Ciceronem, ergo ſuſpectus eſſe poteſt, tamquàm non Ciceronis.* SIG. *Tertium reprehendiſti tamquàm minus proprium Ciceronis; Animum ſimul cum homine interire. Nam cum obſeruaueris apud Ciceronem hominem eſſe animum, interpretatus es, animum ſimul cum animo interire, idq. abſurdum eſſe affirmaſti. Ego autem puto hominem non ſolum pro animo uſurpari, ſed etiam pro corpore, ut Animum ſimul cum homine interire ſit animum ſimul cum corpore interire. Cumq. multa alia diſputauerimus, totam diſputationem noſtram redigo ad perpendendum locum Platonis in Phædone, ubi accipitur homo pro corpore, cum legitur, Num eodem die animus deletur, quo homo moritur?* RICC. *Dixiſti, hominem mori nihil alıud eſſe, niſi mori partem eius mortalem, nempe corpus. Id ego refutaui, quia Plato in Gorgia definiuit mortem eſſe diſſolutionem*

lutionem animi, & corporis, unde intelligitur, hominem mori non eſſe ſimpliciter corpus interire, ſed animum à corpore diſſolui. In loco autem Phædonis accipi hominem non pro ſolo corpore, ſed pro toto compoſito, quaſi dicatur, Num eodem die extinguitur animus, quo totum compoſitum diſſoluitur, & fit animi à corpore diſſolutio? S i g. *Nego ita eſſe.* R i c c. *Quomodo merito negare potes, ſi nunquam apud Platonem homo accipitur pro ſolo corpore, ſed ſemper aut pro idea hominis, aut pro ſolo animo, aut pro compoſito? ut neceſſe ſit, cum legitur homo apud Platonem, uno de his trib. modis eum interpretari. Primum enim homo eſt idea hominis in mente Dei collocata, in qua Platonici conſiderarunt ideas, ut conſtat ex lib. 7. de Rep. & ex Timæo. Deinde eſt ſolus animus, ut probatur in Alcibiade primo, quia inſtrumentum non eſt pars opificis: homo eſt opifex, corpus inſtrumentum eius; ergo corpus nō eſt pars hominis. & homo eſt, qui imperat, & dominatur: ſolus uero animus imperat, & dominatur: at corpus paret, & ſeruit. poſtremo homo eſt compoſitum quoddam ex animo, & corpore, & hoc modo intelligitur in Phædone a te citato.* S i g. *Iam negaui.* R i c c. *Ne amplius neges, conſidera hæc uerba Platonis in ipſo Phædone; Aliud ne quid nos ipſi ſumus, quàm partim corpus, partim animus? Nihil aliud. Quas tres hominis acceptiones explicauit quoque Plotinus Enneade 6. lib. 7. cap. 5. Nō*

poſſe

poſſe autem accipi hominem in quarta ſignificatione, quam tu attuliſti, apparet ex eo, quia opinio illorum, qui putarunt hominem eſſe ſolam materiã, & ſolum corpus, primum a Pythagora, deinde a Platone, denique ab Ariſtotele reiecta eſt. Quoniam uero in ſecunda ſignificatione homo a Cicerone acceptus eſt, ut probaui ex lib 6. de Rep. & ex 1. Tuſc. iccirco ſcripſi, & recte ſcripſi, ex opinione Ciceronis interire animum cum homine, eſſe interire animum cum animo, & hoc modo abſurde, & improprie dictum, ſi perſonam ipſius Ciceronis ſpectemus. SIG. *Aliter ego ſentio, ut de alijs omnibus. ſed, ut uideo, reſtant, quæ tu minus Latina uocaſti.*

PRO OCTAVA CONIECTVRA, quòd quædam ſint minus Latina.

RICCOBONVS.

RECTE *admones. primũ uero declaraui, me minus Latina dupliciter intellexiſſe, uel comparate, minus, & rarius à Latinis uſurpata, etiam ſi fortaſſe apud non nullum ſcriptorem inueniantur: uel ſimpliciter non uſurpata; quib. duob. modis accipi minus Grammatici docuerunt. Ac primo ſenſu ſcripſi, Filio ſuo, pro filio eius, eßе minus Latinũ.* SIG. *Vnum aduerſus te reuolui exemplum.* RICC. *Oſtẽdi te nihil profeciße.* SIG. *Alij uiderint.* RICC. *Eodẽ primo ſenſu notaui Pœnitendum ſtatum minus*

nus Latine dictũ eſſe. S i g. *At Pœnitendus uox eſt à Liuio, ut docui, & Suetonio optimis in primis Latinitatis auctorib. uſurpata.* R i cc. *Eſt minus Latina, id eſt, minus, & rarius in Latinorum ſcriptis adbibita. Accedit, quòd, ut alij quoque uiro doctiſſimo reſpondi, Liuio obiecta eſt à Pollione Aſinio Patauinitas, id eſt, ut interpretatur Quinctilianus, peregrinitas ſermonis, & in nonnullis uerbis minus Latinum loquendi genus. Quamquam dixi per Patauinitatem aliud intelligi poſſe, ut ſignificauerit Pollio eam, quam Caius princeps, parum amicus Liuij, appellauit uerboſitatem, artificioſe nominans uicinum uitium pro uicina uirtute. non enim in Patauinis eſt uerboſitas, ſed eloquentia. Quæ enim inimicis uerboſitas poteſt uideri, amicis eſt eloquentia. Quam Patauinitatem, & nobiliſſimæ patriæ ſuæ proprietatem mire Liuium in hiſtoria ſua ſecutum eſſe affirmaui, etiam ſi, ut notauit Quinctilianus, aliquot peregrinas uoces in Latinitatem inuehere uiſus ſit. Atque hæc in nonnullis uerbis peregrinitas obijcitur quoque Suetonio, ut etiam ſtylus tenuis, & qui Grammaticum magis, quàm Hiſtoricum ſonet.* S i g. *Ita ne uero? tu poſt hac poteris ſuperbas te aures habere negare, aut ſi quis fortaſſe id dixerit, inſignis contumeliæ loco accipere, cum Liuium, Suetoniumq. contemnas, quos ipſa in primis eſt admirata antiquitas?* R i cc. *Negabo, & uere negabo, me ulla umquã ſuperbia elatum eſſe, inſignemq. contumeliam exiſtimabo, ut me-*

merito alias exiſtimaui, ſi quis id mihi uitio uerterit,& uoluerit etiam, ſi Dijs placet, nugatorijs quibuſdam captionib. contumeliam occultare, atq. in ea inferenda perſiſtere, eoſq. uere ſuperbos nominabo, qui uel prӕter cauſſam, ut aliquid pulchri, & ingenioſi dicere uideantur, optimos ſcriptores criminantur: ut tu ipſe feciſti, cum errorem Liuij notaſti, quòd lib. 44. L. Valerium Tribunum pl. ſic contra Catonem Conſulem loquentem introduxerit, ut ſe Origines eius aduerſus eum reuoluturum eſſe denunciarit, quos tamen conſtat Catonem longe poſt Conſulatum conſcripſiſſe. Hӕccine eſt beneuolẽtia, quam in Liuium illum, illum inquam tuũ exerces, à cuius fonte ad magnam hominum famã profluxiſti? Quem ego, ne in eum ingratus uiderer, qui ſuis lucubrationib. tantum mihi amplitudinis, atq. ornamentorum attuliſſet, potius defenderem, diceremq. M. quidem Catonem in extrema ӕtate ſua libros Originum confeciſſe, ſed ante conſulatum inchoaſſe, eiuſq. rei famam, ut de clariſſimorum ſcriptorum ſolet operib. ad omnes permanaſſe, ut potuerit illas L. Valerius in conſulatu eius nominare, etiamſi nondum ipſas uidiſſet, quaſi dixerit, Ego reuoluam non manib. ſed animo, & oratione aduerſus te Origines tuas, quas te ſcribere fama eſt. Commemorauit quoque Propertius Aeneidem Virgilij, priuſquam illa edita eſſet, cum lib. 2. ſcripſit; Cedite Romani ſcriptores, cedite Graij,

Neſcio quid maius naſcitur Iliade.

quo ex loquendi modo intelligitur Aeneidem adhuc inchoatam in honore, & in exiſtimatione fuiſſe; & poemata, atq. hiſtorias nobiles, etiam non editas fama, & ſermonib. hominum celebrari conſueuiſſe. cuiuſmodi etiam uidetur illud Horatij de Pollione, qui inſtituerat mandare litteris bella ciuilia, neq. tamen adhuc abſoluerat, aut ediderat, li. 2. Carminum;

Motum ex Metello conſule ciuicum,
Belliq. cauſſas, & uitia, & modos, &c.

& paullo poſt; Paullum ſeueræ Muſa Tragœdiæ

Deſit theatris: mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno.

quæ uerba indicant hiſtoriam inchoatam, nec abſolutam. Iam ſic defenderem Liuium: uel ſi non poſſem defendere, at ſaltem temere, & præter rem non accuſarem. Tu igitur ea in re ualde Liuium contēpſiſti. Ego uero nec Liuium, nec Suetonium, ut tu criminaris, contempſi; ſed ut illum a uerboſitate defendi, ſic quæ illi, & huic ab aliis obiecta ſunt, ad meam defenſionem traduxi. Quare non eſt, cur tua ſuperbia me in hominum odia trahas. SIG. *Accipe in bonam partem, quæ dico: nam ego ſexagenarius te quadragenarium, ut filiū prope iure meo moneo.* RICC. *In eam partem accipio, in quam debeo: ſed pergamus.* SIG. *Addidiſti etiam illud eſſe minus Latinum; Is ſe hominem eſſe meminerit; nihil autem humanius eſſe morte; ut ſi non ab ipſo*

diuelli, atq. auferri poſſet, dijs propior habendus eſſet, quàm hominib. nec omni ex parte hominis nomen ipſi congrueret, quia communi, & præcipua hominis conditione non uteretur. In hac re leuisſima obmutueram. Nunc dico recte iſta omnia ſe habere, atq. ita exponenda eſſe, ſe hominem eſſe meminerit, nihil autem humanius eſſe morte, id eſt, nihil magis proprium hominum eſſe morte, ut, id eſt, uſque adeo ut ſi mors ab ipſo diuelli poſſet, dijs propior haberi poſſet, quàm hominib. Ric. *Obſeruaui in quarta diſceptatione mea Humanum, cum ſit cõparatiuum, aut ſuperlatiuum, uideri benignum ſignificare, præcipue apud Ciceronem, non quod hominis eſt proprium. Illum autem loquendi modũ, qui congruit ſic; Itaque, ſi mors ab ipſo diuelli, atque auferri poſſet, dijs propior habendus eßet, uel Quæ ſi ab ipſo diuelli, &c. minus probare poſſum, ſi referatur ad uocem Vt.* Sig. *Verum fac aliquas in hoc libro labeculas reſidere iniuria librariorum contractas, cur non eas docti adhibito ſtudio delēt?* Ric. *Labeculas appellas maximas maculas, & grauiſſima non librariorum, ſed ipſius auctoris errata? At hæc plura ſunt, quàm quæ ſanari facilè poſſint.* Sig. *Num plura, quàm quæ in epiſtolis quondam ad Att. aliorumq; librorum uoluminib. reperta ſunt?* Ricc. *Certe plura, ſi debita ineatur proportio, & non ſolum uerborum, ſed etiam rerum errata connumerentur.* Sig. *Quarto loco reprehendiſti illud: De quo eſt apud Herodotum, il-*

lum

lum Xerxi reſpondiſſe. quincto illud; De quo traditum eſt, nihil eum putauiſſe. Cum autem hortaris, ut ab eo dicendi genere, tamquam impuro, abſtineamus, quid aliud hortaris, quàm ut Ciceronem in Bruto impure locutum eſſe arbitremur? qui ſic dixit; De quo ſit memoriæ proditum, eloquentem fuiße. RICC. *Non id hortor: indigne enim ex inſtituto tuo me criminaris. Nam locus uidetur diſſimilis, ſi integer legatur in hunc modum; Quem uero extet, & de quo ſit memoriæ proditum, eloquentem fuiſſe, & ita eſſe habitum, primus eſt M. Cornelius Cethegus. Illud enim Eloquentem fuiſſe, et ita eſſe habitum, referri debet ad illud, Quem uero extet. prætcrea hic locus, non habet Illum, uel Eum. Et, ſi darem eſſe ſimilem locum, quod tamen non do, negari tamen non poſſet, tale loquēdi genus eſſe minus, & rarius à Latinis uſurpatum. Iam tu aſtute illa uerba omiſiſti, Quem uero extet, & ſuccenſes, quòd aſtutus nuncuperis?* SIG. *Quod inijcis ſexto loco, te Latinitatis ſtudioſis illud iudicandum relinquere, Lacænas matronas traditum eſt occiſis filijs uulnera inſpicere conſueuiſſe. contra uero quos auerſis uulnerib. conciſos agnoſcebant, ab ijs refugientes, clam ſepeliendos curabant, nec ſtatuebant, pro curaſſe, nec ſtatuiſſe: quid aliud admones, niſi ut iudicemus, an Cicero in primo de Oratore Latine dixerit? Dici memini L. Craßum in Tuſculanum ſe contuliſſe. Veniſſe eodem Q. Mutius dicebatur. exierant autem cum Craßo Cotta, &*

Sulpitius. Exierant autem, id eſt, Exijſſe autem, et in tertio; Namq; latus tũ ei condoluiſſe, ſudoremq; multum conſecutum eſſe audiebamus. Ex quo cum cohorruiſſet, cum febri domum redijt, id eſt, redijſſe. Demetrij autem Phalerei præceptum eſt, afferre amplitudinem in figuris, ſi non in eodem caſu maneatur. idq. probat exemplo Thucydidis. RICC. *At ne hi quidem loci uidentur ſimiles. Nam in primo illa uarietas eſt maxime elegans; Dici memini L. Craſſum: Q. Marius dicebatur: Exierant autem cum ipſo Craſſo. Nec poterat optari Exijſſe, niſi ſubintelligeretur uox pluralis Dicebantur. In ſecundo autem interrupta eſt ſeries uerborum per illud; Ex quo: nec poterat congruere uox Redijſſe, niſi adderetur uox Eum. At in loco Conſolationis ſine ulla alterius uocis ſubintellectione, & ſine ulla additione optime quadraſſent illa uerba, Curaſſe, nec ſtatuiſſe; ut minus congerentes mihi uidetur dictũ, Curabant, nec ſtatuebant; quod deberet pendere ab illo; Lacænas matronas traditũ eſt. Quod attinet ad Demetrij præceptum, amplitudinẽ quidem habet non in eodem manere caſu, ſed congruenter, ut apud Thucydidem, cuius uerba congruentiſſime probata, quàm ſimilia ſint uerbis Conſolationis, ubi deformis fieri caſuum mutatio uidetur, ſtudioſorum iudicio reliqui.* SIG. *Quæ, malum, eſt iſta ratio, ut omnia ferme argumenta una, atque eadem reſponſione refellas? ut ſemper ſimilitudinem abnuas? quod lumen ex eiuſmodi reſponſione*

elucere

elucere putas ingenij? qaid enim expeditius, ne dicam obtuſius, eſſe poteſt, quàm aut uocem aliquam Latinam eſſe negare, aut exemplum eſſe diſſimile reſponaere? R I C C. *Facile patior, me maledictis ſuperari, dummodo rationib. non uincar. Obtuſio tamen potius uidetur eſſe eius, qui non intelligat, nihil admitti poſſe tamquam Latinum, quod haud optimorum ſcriptorum auctoritate, non adumbrata, & captionib. diſtorta, ſed clara, & recta comprobetur; quiq. non uideat, optimam eſſe rationem refellendorum exemplorum, ſi non ſimilia oſtendantur, ſcribente Ariſtotele,* μαχητέον, ἢ ὅτι τὸ παρὸν οὐχ ὅμοιον, ἢ οὐχ ὁμοίως, ἢ διαφοράν γέ τινα ἔχει. S I G. *Sed uideo finem. Extremum illud eſt, quod tu temere obieciſti, Adeo quòd. Ego uero hoc crimen temere ſimulatum eſſe dico, id eſt, fortuito, ac ſine longa, ut ſæpe fit, animi meditatione conflatum, atq. ut dixit Cicero, temere effutitum.* R I C C. *Ille locus duplicem ſenſum habere poteſt, quorum primus eſt is, quem ego dubitãdi cauſſa attuleram. Quandoq; animus medicinam refugit, idq. euenit maximè, cum dolore affligimur propter noſtrorum mortem. Sed qua de cauſſa id euenit? Reſpondet auctor; Ex eo fit, quòd erepti uel amici, uel affinis, uel filij cogitatio adeo nobis grata eſt, quòd illum pene ante oculos conſtituere uideatur, id eſt, adeo nobis grata eſt, ut, quia ea ualde delectãtur conſtituere nobis illos ante oculos uideatur. Nam, ut tradit Ariſt.* καὶ ἐν τοῖς πένθεσι,

καὶ θρήνοις ἐγγίνεταί τις ἡδονὴ τῷ μεμνῆσθαι, καὶ ὁρᾶν πως ἐκεῖνον, καὶ ἃ ἔπραττε, καὶ οἷος ἦν. διὸ καὶ τοῦτ᾽ εἴρηται, ὣς φάτο. τοῖσι, δὲ πᾶσιν ἐφίμερον ὦρσε γόοιο. *Sequitur concluſio; Vt, id eſt. iuuet, etiam ſi dolorem refricet, & lacrymas eliciat, tamen eam deponere nolimus, & hoc modo medicinam refugiamus. Qui ſenſus adeo accommodatus fuit ad dubitandum, ut etiam quoſdam amicos tuos, alioquin uiros doctiſsimos, & maximo ingenio præditos, ad id adduxerit, ut probare conati ſint Adeo quod eſse Latinum, auctoritate Ciceronis pro Archia ab ipſis non intellecta. Alter ſenſus eſt is, quem ego quoque uideram, ante quàm tua legiſſem ſcripta, & quo tu tam ſæpe contra me gloriaris, ut loquatur auctor in hunc modum; Medicinam refugimus, in obitu noſtrorum, quia cum cogitatio eorum nobis grata ſit, ponens eos nobis ante oculos, medicinam refugimus, ut ſi quis diceret, Homo eſt ſubſtantia, quia, cum animal ſit, eſt ſubſtantia. Quem locum, quoniam nolui ſophiſtice agere, ingenue confeſſus ſum, melius à te, quàm ab illis amicis tuis explicatum eſse. Cum autem omnia dubitandi cauſſa ualere debeant, pro uno errore ſatis tua reſponſione purgato, repoſui duos, quòd in propoſitione uideatur aliquid deſiderari, & quòd in probatione propoſitionis adhibita ſit uox, Affinis, pro quolibet propinquo, ut etiam multis alijs in locis. Atque, ſi lapſus eſſem, & non nullis in reb. cæcutiſſe exiſtimarer, (quis enim, inquit Cicero, eſt tam lynceus,*

qui in tantis tenebris nihil offendat, nuſquam incurrat?) in eo ſaltem probari deberem, quòd nulla pertinacia utor. non enim parum cognoſse, ſed in parum cognito ſtulte, & diu perſeueraſse turpe eſt; illudq. communi hominum infirmitati, hoc uero ſingulari uniuſcuiuſq. uitio attribuendum eſt. Quid tu? putas te in omnibus oculatum fuiſſe, & omnia ſapiēter protuliſſe? Relinquo id oneris alijs, ut enumerēt, quæ à te in hac cauſſa exiſtimari poſſunt temere effutita, quæ fortaſſe ſunt plura, quàm quæ mihi obijcis.

EPILOGVS.

RICCOBONVS.

VT *tandem peroremus, demonſtraui, ſententiam illam in principio poſitam, ſiue probabilis, ſiue improbabilis, ſiue certa, ſiue controuerſa, ſeu uera, ſeu falſa eſſet, rationem ullam non poſtulaſſe, ac ſapientum, quos ille nominauit, auctoritate contentam fuiſſe.* RICC. *Oſtendi abſurdam eſſe eiuſmodi rationē, ut dicatur aliquid non indigere ratione, quia probabile ſit, illamq. ſententiam probaui non modo probabilem non eſſe, ſed falſam eſse, & nullorum ſapientum auctoritate firmatam.* SIG. *Demonſtraui, quæ tu maxime contraria (nam minime pro maxime temere te uideo effudiſſe) in Catone*

dixiſti,ea nequaquam eiuſmodi eſſe. Ricc. *Oſtendi uituperationem ſenectutis in Conſolatione factam, mire(temere enim, & prauis ſenectutis tuæ conſpicilijs legiſti Minime, pro Mire pag.* 47. *lin.* 14. *quemadmodum etiam temere in me allatrando Scipionem maiorē pro Catone maiore nominaſti) repugnare ijs, quę in Catone maiore ſcripta ſunt.* Sig. *Demonſtraui, quæ ex alijs Ciceronis libris tranſlata notaſti, omnia ex conſuetudine Ciceronis allata, pro arbitrio immutata, & ſine deprauatione adhibita eſſe; Ciceronem autem non à Mureto, ſed Muretum à Cicerone, uel te concedente, ſumpſiſſe.* Ricc. *Oſtendi ea non ſolum aliunde ſurrepta, & paullis per immutata ſed etiam ualde deprauata, nec Ciceronem, ſed ſimulatorem Ciceronis à Mureto accepiſſe, Mureti autem nec primum locum, qui longiſsimus eſt, nec ſecundum fuiſſe ex Cicerone expreſſum, ſed fortaſſe tertium, (id enim ſolum dedi) quem tamen iſte ſimulator imitatus ſit.* Sig. *Demonſtraui ueterem Sigonianum fragmentorum ordinem certiorē eſſe, quàm eum, quem tu modo à te ipſo recedens oſtentadi ad tempus ingenij gratia confinxiſti; quæq. Sigonius paullo ante coniecit, quoniam ratione, non uaticinatione continerentur, fieri poſſe, ut olim à Cicerone perſcripta ſint, quemadmodum tu in alijs tuis commentarijs aliàs approbaſti, quæ ſunt addita, ea huius maximi libri ueritatem confirmare, ac recte Conſolationem eo modo patefacta Lactantij ſententia pero*

ratam

ratam eſſe. Ricc. *Oſtendi ordinem quidem Sigonianum ingenioſum eſſe, ſed certiorem eſſe eum, qui ex ipſo Cicerone colligitur; & Sigonium quodammodo profiteri ſe uatem eſſe, cum tam acriter foueat ordinem à ſe excogitatum; fieriq. non potuiſſe, ut Sigonius omnia prorſus fragmenta ſuo ordine digeſſerit; ac me aliàs ordinem Sigonianum approbaſſe, quia Sigonio nimium credidi; turpiſſimumq. eſſe, ut locus Milonianæ & locus Petrarchæ pro fragmẽtis Conſolationis uenditentur; atq. ex Lactãtio ſatis apparere, aliter loeutum eſſe Ciceronem in Conſ. de Fortuna, quàm iſte Cicero expreſſerit ſimulatus.* Sig. *Demonſtraui exempla omnia idoneum ordinem obtinere, neque ex ijs librum ſimulatum eſſe, argui poſſe.* Ricc. *Oſtendi exempla quædam ordine inuerſo narrata eſſe; idq. argumẽtum ſi non ſolum, at certe coniunctum cum alijs multis probare libri falſitatem.* Sig. *Demonſtraui uocabula, & iuncturas illas, quas tu tamquam à Ciceronis præceptis alienas notaſti, non item eſſe.* Ricc. *Oſtendi, ut notaueram, ita eſſe.* Sig. *Demonſtraui, quæ tu parum propria dixiſti, defendi nõ poſſe.* Ricc. *Oſtendi defendi non poſſe.* Sig. *Demonſtraui denique, quæ tu tamquam parum Latina reprehendiſti, rationib. atq. auctoritatib. confirmari.* Ricc. *Oſtendi denique illas rationes, atq. auctoritates nihil ualere.* Sig. *Mirum eſt, quòd iſto ingenio, ac prudentia præditus non perſpicias, aut aliter hanc cauſſam tibi agendam*

fuiſſe,

fuiſſe aut ex his omnibus haud effici, hunc librum Ciceronis non eſſe; qui uero tecum, ut gloriaris, conſentiunt, eos alijs, & quidem fortaſſe firmioribus rationib. ad eam ſententiam deſcendiſſe; te uero in huius libri iudicanda quaſi pictura, non colorem ipſum, unde maximè ſimilitudo elucet corporis, ſed extrema tantũ lineamẽta ſpectaſſe. RICC. *Meum mihi ingenium, ac prudentia, qualecumque, & qualiſcumque ſit, dictat, & hanc cauſſam non aliter, quàm egi, mihi agendam fuiſſe, & ex his omnib. quæ in primo iudicio expreſſa ſunt, confici, iſtam Conſolationẽ Ciceronis non eſſe, quæ ſi per ſe haud ſatis eſſe uideantur, fortaſſe coniuncta cum ijs, quæ in quarta ſecundi iudicij diſceptatione collegi, ſatis erunt. Ac gaudeo quidem doctos mecum quamplurimos conſentire, etiam ſi extenuandi tuo more negotij mei cauſſa illos firmiorib. rationib. ad hanc ſententiam deſcendiſſe dicas: ſat enim habeo uidere te confitentem, cum meæ rationes, ut arbitror, ſatis firmæ ſint, etiam firmiores contra iſtam Conſolationẽ adduci poſſe; ut ſi non probationes meæ, at ſaltem concluſio contra opinionem tuam uera eſſe uideatur. Me uero exiſtimo in iſto libro diſcernendo non næuos, & crepundia, ſed totum corpus ſpectaſſe, & in iſtius Conſolationis quaſi pictura internoſcenda non extrema tantum lineamẽta, ſed colorem ipſum intuitum eſſe, quæ uere pictura eſt, ſiquidem ficta. Quid profecerim, alij, quàm tu, iudicabunt.* SIG. *Ego, qui propter meam erga te beneuolen-*

neuolentiam in tuis ſcriptis iudicandis ſum cæteris aliquanto remiſſior, illud doleo, quòd me hominem tui ab ineunte ætate ſtudioſiſsimũ crebris tuis procurationib. quaſi moleſtum aliquem aduerſarium inuitum ad hanc reſponſionem attraxeris. RICC. *Neſcio, quos cæteros intelligas, niſi quoſdam ἀῤῥήτους, quorum factum minime curo. Quòd uero conquereris de prouocationibus meis, iniuſte facis, ut cum me ab ineunte ætate tui obſeruantiſsimũ propter iudicium meum in incertam perſonam non ſine honeſta nominis tui commemoratione conſcriptum duab. tuis orationib. acriter prouocaueris, & multis probris maledictisq. uexaueris, etiam prouocantem appelles, & noua reſponſione nouarum iniuriarum pleniſsima inuitum ad nouam defenſionem attrahas.* SIG. *Cum ego aliud prope agens dixiſſem, propter unã figuram Traductionis a Quintiliano prolatam Rhetorica ad Herennium à Cicerone ad Cornificium eſſe tranſlata, tu terepente intuliſti, inquiens; Non una figura, Traductio, ſed res quindecim à me collectæ hoc effecerunt. Quod ubi ipſe tradideris, fateor, me adhuc ignorare. Verum hoc nihil ad cauſſam. Me uero, ut ita ſciberem, impulitq́, quòd ſcriptum in Rhetoricis ita uidebam; Traductio eſt, cum idem uerbum modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo; Amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari. Apud Quinctilianum uero hoc pacto; Aliter quoque uoces, aut in eadem, aut in diuerſa ſignifica-*

tione ponuntur, ut Amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari. Cornificius hanc Traductionem uocat, uidelicet alterius intellectus ad alterum. Nomina uero figurarum quindecim, quæ tu infers, in utroque illa quidem libro & Herennij, & Quinctiliani reperiuntur. uerum neque exemplis eiſdem, neque Cornificij nomine inſigniuntur, unde certo Rhetorica ea eſſe Cornificij colligatur.

RICC. *Quod in tuis orationib. pertinet ad materiam fragmentorum amplificandam, epilogo, maioris aculei gratia, reſeruaſti. Neſciebam uero, te tam labili eſſe memoria, ut oblitus eſſes, me, priuſquàm ederem, ad te miſiſſe Bononiam Commentarium meum manuſcriptum, quo per locorum collationem uniuerſa Ciceronis ars oratoria explicata eſt, qui ſententia tua probatus, quamuis inchoatus, atq. rudis an. 1567. mihi excidit. Verum hoc, ut dicis, nihil ad cauſſam. In eo libro ſcripſi, Quinctilianum res quindecim de Cornificio attuliſſe, quæ omnes de auctore ad Herennium ueræ eſſent, nihilq. tribuiſſe Cornificio, quod in Rhetoricis non Herennij, ut tu loqueris, ſed ad Herennium non inueniretur. Qui uero tibi in mentem uenit dicere, eas res Cornificij nomine non inſigniri? Audi, poſtquàm uis, & cognoſce, uel potius, quod cognoſcis, confitere, non minus ex alijs, quàm ex tua figura Traductione colligi ea Rhetorica certo eſſe Cornificij. Age enim. Declarauit auctor ad Herennium Traductionem. Quinctilianus eam declarationem*

tionem tribuit Cornificio, unde colligis ſcriptorem ad Herennium eſſe Cornificium. Conſideremus cætera. Auctor ad Herennium ſcripſit integrum librum de elocutione, qui eſt quartus Rhetoricorum. Quinctilianus lib. 9. ait; Hæc omnia de elocutione copioſius eſt executus Cornificius, qui proprie librum huic operi dedicauit. De traductione tu iam locum utriuſque aperuiſti. Ille inter figuras uerborum numerat interrogationem: Hic eodem libro teſtatur Cornificium numeraſſe. Ille nominat inter eaſdem figuras ratiocinationem: Hic dicit etiam Cornificium nominaſſe. Ille ſententiam, et definitionem ponit inter ſchemata λέξεως: Huius uerba ſunt; Cornificius, atq. Rutilius ſententiam, & definitionem ſchemata λέξεως putant. Ille tradit contrarium idem fere eſſe, quod contentio eſt; & Contrarium eſſe, quod ex rebus diuerſis duab. alteram breuiter, & facile confirmat: Hic lib. 5. ſcribit, enthymema, quo pugna conſtat, contrarium à Cornificio appellari. Ille membrum figuris uerborum aggregat: Hic quoq; lib. 9. tradit, Cornificium aggregaſſe. Ille articulum figuram uerborum facit: Hic affirmat Cornificium feciſſe. Ille inter eaſdem figuras uult eſſe Subiectionem: Hic aperit Cornificium uoluiſſe. Ille ſimul Occupationem collocat: Hic declarat Cornificium collocaſſe. Ille etiam inter eas recipit Interpretationem: Hic exponit Cornificium collocaſſe. Ille in ipſis commemorauit Concluſionem: Hic oſten-

dit

dit Cornificium commemoraſſe. Ille in eiſdem collocauit Tranſlationem: Hic meminit Cornificium collocaſſe. Auctor deniq. ad Herennium, præcipit licentiam eſſe, cum apud eos, quos aut uereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure noſtro dicimus: Quinctiliani uerba ſunt; Idem dictum ſit de oratione libera, quam Cornificius licentiam uocat, Græci παῤῥησίαν. *Non ne certo certius apparet, (ſi Quinctiliano fides habenda eſt, ut certe eſt) Rhetorica ad Herennium eſſe Cornificij?* SIG. *Dicis te grauiora, & firmiora in tuo ſecundo iudicio protuliſſe: at contra tamen uſuuenire animaduerti, ut, quemadmodum ex amphora primum liquidiſsimum, deinde turbidiſsimum quidq. effluit, ſic primus quiſque ingeniorum quaſi fœtus perfectiſsimus ſit.* RICC. *Qualia ſint illa, quæ noua attuli, uiri docti iudicabunt. ſed non eſt eadem ratio amphoræ, & ingeniorum. In illa enim fit id, quod narraſti. Ingenia uero, quos fructus primus ferunt, haud ſumpto congruenti temporis ſpatio ad eos producendos, minus perfectos ferunt. Si uero poſt illos primos adhibuerint ad aliquos alios perficiendos & tempus, & diligentiam, perfectiores producūt. Immo uero in hoc eadem ratio eſt, quòd, ſi, quidquid in amphora eſt, totum liquidum eſt, nihil ex ea effluit, niſi liquidum, ſi totum turbidum, nihil niſi turbidum; ſic excellentium ingeniorum & primi, & ultimi fœtus excellentes ſunt, abſurdorum abſurdi.* SIG. *Miratus ſum ualde, quòd*

non nullis tuarum diſceptationum in locis me tecum diſſentiente ſic exarſeris, ut neque præceptoris, neque patroni, ſic enim me pro tua humanitate appellas, habita ratione ad maledicta eadem plane humanitate indigna prolapſus ſis, quem'que te admirari, ac ſequi præcipue profiteris, eum tamquam æqualem ad ſummum certamen doctrinæ, atque eloquentiæ prouocaris. RICC. *Non exarſi, niſi cum me exardeſcere tuis maledictis uoluiſti: nec te unquam offendit oratio mea, niſi cum te ita obtuliſti, ut in te non inuaſiſſe, ſed incurriſſe uidear. Ac, tametſi propter aliquot publicas explicationes tuas à me auditas me dignum feci, qui te præceptorem appellarem, ac ſperaui me potius uſurum patrocinio tuo, quàm à te accuſatum iri, tamen non is ſum, qui tuæ maximæ iniuriæ ſubiacere uelim: eumq. te non æqualem, ſed longe ſuperiorem, etiam inſignib. Doctoris, quæ habeo, occultatis, eſſe confitear, mihi tamen laborandum exiſtimo, ne me, ut uideris uelle, prorſus opprimas; nec, ut ſæpe iam dixi, te prouocaui, ſed à te indigne prouocatus ſum, qui etiam tam multas, et tam magnas te obijcere mihi moles, ac quaſi machinas profeſſus es, ut me funditus euerteres.* SIG. *Equidem nũquam illo animo ad hanc diſputationem acceſsi, ut præcipue te refellerem.* RICC. *Tamen primum iudicium meum etiam enarratis uerbis meis refelliſti.* SIG. *Sed, ut (libet enim proprium aliquando tandem aperire dolorem) uetus illud meum in argumento*

mento huius libri tam longe concipiendo non uaticinium, ſed conſilium à te omni ope ingenij refutatum, irriſumq. defenderem. R I C C. *Tandem aliquando tu ipſe confiteris id, quod ego conieceram. Nam, cum primum mihi allata eſt illa iam ſatis peruagata uox tua,* A V T C I C E R O N I S, A V T C I C E R O N E M A I O R I S, *ſtatim multis audientibus dixi, & poſtea ſæpe repetiui, aut eam falſam eſſe, aut, ſi uera eſſet, te tuæ cauſſæ ſeruire, ut eum librum probares, ex quo te uatem fuiſſe appareret, aut, cum uterq. noſtrum homo eſſet, non minus te, quàm me, falli poſſe. Iam, dum proprium aperis dolorem, oſtendis te iſtius libri defenſionem ſuſcepiſſe, adductum ſcilicet uaticinij gloria, quod conſilium appellas. Atque hæc fuit uera cauſſa, cur librum probaris, & me improbantem oppugnare conatus ſis, non ea, quam adducis, quòd ego iſtud tuum ſeu uaticinium, ſeu conſilium reprehendiſſem. nam in primo meo iudicio nondum reprehenderam, & tamen occaſionem mei impugnandi arripuiſti.* S I G. *Vt finem faciamus, librum hunc neque ſcripſi, neque edidi, neq; auctor cuiquam edendi fui, ſed tantum editum ita probaui, ut ad ueritatem propenſiora multo mihi uideri dixerim ea, quibus confirmaretur, quàm quibus euerteretur. quorum illa priore mea oratione complexus prorſus in hoc ſermone præterij, quoniam tu de illis nullam mihi ferme occaſionem differendi dediſti.* R I C C. *Ego quoq; contendi iſtum librum tuum non eſſe,*

etiam

etiam ſi ille, qui eum edendum tradidit, quo tempore editum eſt primum iudicium meum, interrogatus, an ipſum contra me defenſurus eſſet, reſpondiſſe pro certo dicatur, eiuſmodi defenſionem non ad ſe, ſed ad eum, qui edendum miſerat, Sigonium attinere. Quæ uero priore tua oratione complexus es, non eſſe admodum firma, in prima diſceptatione mea expoſui, ubi cum oſtendiſſem, contra quàm tu ipſe diſputa ueras, multos inueniri, & te potiſſimum his temporib. qui talem Conſolationem, & multo meliorem conficere poſſe uiderentur, ſubiunxi in hunc modum; Qui fragmentorum negocium ſuſceperit, & neceſſe habuerit omnia loca percurrere, ubi mentio talis Conſolationis fieri potuit, atque intellexerit, Crantorem, Theophraſtum, Xenocratem, de luctu minuendo commentarios conſcripſiſſe, is profecto minus difficulter, quàm alij, non ſolum exprimere potuiſſe exiſtimatur ſub nomine Ciceronis, quicquid Ciceronem diſputaſſe ex alijs eius libris, & aliorum omnium auctoritatib. conſtat; uerum etiam fingere, ſe habuiſſe prudentes de luctu minuendo commentarios, ex quib. præcepta collegerit ad leniendam doloris acerbitatem, & legiſſe ueteres uel de luctu, uel de morte ſcriptores, Xenocratem, Theophraſtum, Crantorem, quos tamen non legerit, & ſumpſiſſe ex Theophraſti libris ſententias, quas ex arbitrio formauerit, præterea perſequi omnia conſolandi genera, quemadmodum Cicero fecerat, & noua dicta, prout libuit, prodere; ac fragmenta etiam prius nō collecta, & poſtea

inuenta.ſi modo ulla inuenta eſſent, interijcere,eorumq. non nulla ſecare, atq. in ea inſerere,quæ liberet.Teſtimonia igitur illa,tum Ciceronis,tũ ceterorum omnium, non magis meo quidem iudicio probant,Ciceronis librum eſſe, quàm imitatorẽ in eo diligentem fuiſſe,ut omnia complecteretur, quæ ab omnib.citata eſſent. Quod difficile quidem, & laborioſum fuit, non tamẽ eiuſmodi,ut fieri aliquo modo ab homine induſtrio potuiſſe, non uideatur; maxime uero ab eo, qui fragmenta collegiſſet, uel certe collecta diligentiſſime animaduertiſſet,atque omnem de libro mentionem inueſtigaſſet, omneſq. ea de re ſcriptores excuſsiſset,ac totam Conſolandi materiã animo perluſtraſſet.Hęc ego ibi.Adhuc autem tuis omnib.ni fallor,reſpõdi criminib.quorum ſi tu finem feceris,ego quoq. mei defendendi finem faciam.ſin minus, ut facere inſtitui,me defendam. Noſti enim illud Biantis à te citati; Si quid agere inſtituis, lente id aggredere:cæterũ in eo,quod elegeris, firmiter perſiſte. Quoniam uero ea,quæ iſti Conſolationi obieci, magis fortaſſe maledicendo, quàm ſolide diluẽdo,tãquam leuia reijcis,ut etiam alij,cuiuſmodi ſint,facilius poſſint conſiderare, ea omnia,tum quæ obiecta ſunt in primo iudicio,tum quæ in ſecundo, additis etiam quibuſdam paucis, ne in infinitum progrediar,breui quodam Catalogo oculis omnium ſubijciam. SIG. *Vt magis appareat, id mihi non diſplicebit.* RICC. *Sic profecto de ijs commodius iudicabitur.*

CATA-

CATALOGVS EORVM,
QVAE
IN CONSOLATIONE
EDITA
SVB NOMINE CICERONIS
AB ANTONIO RICCOBONO
NOTATA SVNT.

IN PRIMA PARTE CONSOLATIONIS.

RECENTIBVS *morbis medicinam adhibere uetant ſapientes. Sententia prolata ſine ſubiectione rationis contra præceptum Ariſtotelis.ſententia falſa.* pag.2.a.

Probat auctor id, quod probatione non indiget, ſuo ſe morbo uelle medicinam adhibere, quia omnibus ſit hominum morbis medicina adhibenda:omittit probationem eius,quod potiſſimum eſt probandum,cur uelit medicinam adhibere ſuo recenti morbo,etiam ſi id uetent ſapientes;quæ probatio ponitur in loco minus proprio,& ualde longinquo, atq. alieno à procœmio,id eſt,in quarta libri parte,pag.19.a 2.a.

Morbum ſuum eſſe recentem profitetur, cui etiam contra ſapientum præſcriptum mederi uelit. in ſeptima tamen parte non fuiſſe recentem, cum 2.a.

ſe conſolatus eſt, apertę teſtatur, pag. 40. a.

2.a. *Cum ſuperiore ſententia non ſatis recte connexum eſt illud; Nihilq. aduerſi hominib. accidere ſolet in uita, quod aut improuiſum, aut inexpectatum uideatur.*

2.a. *Si omnia mala ſunt prouiſa, & expectata, ex huiuſmodi conſequitur præparatione non eſſe difficilem conſolationem, contra quàm ſignificatur his uerbis, Conemur tamen, ſi qua ratione poſſumus, mederi nobiſmet ipſis.*

2.b. *Si quidem corpus animi gubernaculo, animus autem miniſterio corporis indiget. Imitatione expreſſum ex Sal. Animi imperio, corporis ſeruitio magis utimur: et paullo infra; Ita utrumq; per ſe indigens alterum alterius auxilio eget. quod inſulſe dictum uideri poteſt, niſi legatur, ut quidam legendum arbitrantur, pro Eget, Veget, id eſt, Vegetum eſt. qua uoce uſus eſt etiam Varro in Manio ſic: Nec natus eſt, nec morietur: ueget utpote plurimum. & in Satyra ὄνος λύρας; Quàm nobilem diuum Lyram. ἁρμονῇ quadam gubernans motibus dijs ueget. Sed hoc obiter.*

3.a. *Quorum extant ſatis multa ſane ſapienter litteris mandata, in primisq. à Theophraſto, Xenocrate, & Crantore, pro, In primiſq. Theophraſti, Xenocratis, & Crantoris. uel pro, A quibus extãt ſatis multa ſane ſapienter literis mãdata, in primiſq. à Theophraſto, Xenocrate, et Crãtore.*

IN

IN SECVNDA PARTE.

CRantorem ſequor. Octo fragmenta Conſolationis collecta à Sigonio, & Patritio, eodem ordine, quem illi excogitarunt, inſerta ſunt. qui ſi uerus eſſet ordo, nulla in parte fallens, illi eſſent uates. Hoc autem eſt fragmentum primum. 4.b.

Cuius legi breuem illum quidem, ſed uere aureum, &, ut Panætio placuit, ad uerbum ediſcendum de luctu librum. Sumptum ex Lucullo; Legimus omnes Crantoris, ueteris Academici, de luctu. eſt enim non magnus, uerum aureolus, &, ut Panætius Tuberoni præcipit, ad uerbum ediſcendus libellus. 4.b.

Quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, & in hanc lucem ingredi. Hoc ſecundum eſt fragmentum ſecundo loco ex illorum præſcripto inſertum. addita eſt uox Quaſi ex Sigonio: & in hanc lucem ingredi tamquam gloſſema. 4.b.

Infantiam, & pueritiam uagitus, lacrymæ, imbecillitas, nullus nec rationis, nec corporis uſus, dolores, moleſtiæq. quamplurimæ amplectuntur. Vagitus, non eſt uox Ciceroniana. Dolores amplectuntur, dictum eſt pro, Torquent, male habent. At Amplecti potius in bono. 4.b.

Huic inuidia, & æmulatio a bonis imminent. At nulla inuidia poteſt a bonis imminere. Ariſtotelis uerba ſunt lib. II. Rhetoricæ. Διὸ καὶ ἐπιεικὲς 6.a.

ἐστιν ὁ ζῆλος, καὶ ἐπιεικῶν: τὸ δὲ φθονεῖν φαῦλον, καὶ φαύλων. *Quid? quod ne æmulationem quidem huic loco conuenire probauit uir eruditiſſimus, Vincentius Caſtellanus, non ſolum ſi in malam partem accipiatur, quemadmodum interdum accipi affirmat Cicero lib.* IV. *Tuſc.diſp. ſed etiam in bonam, cum eo modo nemini obeſſe poſſit?*

6.b. *Inſidiæ intenduntur: ætas numquam ſibi ipſi non infeſta, numquam pacata. Inſidias facere, parare, ſeu comparare, ponere, ſtruere, tendere, inuenio: inſidias intendere, numquam legi. Aetas pacata, quaſi ſermo habeatur de aliqua prouincia, aut ciuitate pacata.*

7.a.b *Vituperata eſt ſenectus, quæ in Catone maiore laudata eſt, nulla habita excuſatione, ne in proœmio quidem.*

7.b. *Non nullis uiſum eſt, magnam eſſe ſenilis ætatis conſolationem prudentiam uſu rerum quæſitam. Pro, Nonnullis uiſa eſt magna eſſe ſenilis ætatis conſolatio prudentia uſu rerum quæſita. Occulte autem ſignificat Dialogum de ſenectute, qui, ut legerit Ciceronianam in ſenib. prudentiæ commendationem, uidetur uoluiſſe Ciceroni reſpondere, & oſtendere, ſenes quidem eſſe prudentes, ſed dolere, & angi, quòd, quæ prudentia dictat, efficere non poſſint.*

7.b. *Cur non doleat optime etiam perficere non poſſe. Pro, Se optime etiam perficere non poſſe.*

Magni

Magni conſtet uictoria. Pro, Magno conſtet. 8.*a.*
Sua pacate poſſidentem, nulla hoſtium incurſione uexatum. Pro eo, qui uexatur. 8.*b.*
Auaritia in deſide, atq. ocioſa mente quàm maxime exoritur: eaq. erectiores animos maxime ſollicitat. Si maxime deſides, & ſupinos, quomodo maxime erectos? 9.*a.*
Tam imo loco collocauit. Tam, cum ſuperlatiuo. 9.*a.*
Conditio expers eſſe cognoſcitur. Haud ſcio, an Ciceroniane dictum. 9.*b.*
Ex interitu parentum, fratrum, ſororum, affinium. id eſt, ceterorum propinquorum, & cognatorum, cum tamen uox Affinis tam late non pateat. 10.*a.*
Fœminæ non ut homines indagare poſſunt. Homines, pro uiris. 10.*a.*
Malorum paucorum ſenſus ita acerbus eſt, ut bonis uel plurimis, & maximis interdum præferatur. Ita de ſenſu malorum, quæ bonis præponderent, & bona ſuperent. 10.*b.*
Innuptæ parentibus & affinib. parent. Pro, ceteris propinquis, & cognatis. 10.6.
Argumentatur ſic; Fœminæ liberæ ſunt poſt mortem: ergo beatæ. Tamen per eum uiri in hac uita ſunt liberi, & non beati. 10.6.
Vinculo conglutinatus. Pro, Vinculo copulatus. 11.*a*
Compage. Vox non Ciceroniana. 11.*b.*

IN TERTIA PARTE.

11.*b.* A*Rgia Sacerdos, quod optimum filijs eſſet, à dea precata, eos reperit mortuos. Ex* 1.*Tuſ. Sacerdos aduecta in fanum precata à dea dicitur, ut filijs præmium daret, quod maximum homini dari poßet à Deo: poſt mane inuentos eſſe mortuos.*

11.*b.* *Credamus ſane Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonio, & Agamede, à quibus templum magnifice Apollini exædificatũ Delphis erat, ut, quod eßet optimum, homini tribueret, poſt diem tertium exanimes ſunt inuenti, quo munere iudicauit deus, & deus is, cui diuinitatis partes à reliquis dijs ſunt relictæ, mortem homini omnium rerum eſſe optimam. Ex eadem Tuſc. Trophonius, & Agamedes, cum Apollini Delphis templum exædificaßent, petierunt, quod eſſet optimum homini: poſt eius diei diem tertium mortui ſunt reperti. iudicauiſſe deum dicunt; & eum quidem deum, cui reliqui dij conceſſiſſent, ut præter ceteros diuinaret, mortem eſſe optimum homini. Hunc locum auctor Conſolationis deprauauit. Non enim ſolum dixit, Apollini exædificatum, pro Ipſi exædificatum, quod tolerari poteſt: ſed etiã adhibuit ſolœciſmum, Qui exoratus, exanimes ſunt inuenti.*

12.*a.* *Immerentes. Vox non Ciceroniana.*

12.*b.* *Cur liberis, & affinib. diuerſum? Non ſolum uox*

Affinib.

Affinib. male accipitur pro ceteris propinquis, & cognatis: uerum etiam illud, Cur diuerſum? uidetur potius olere hodiernas ſcholas, quàm Ciceronem.
Infeliciter. Vox non Ciceroniana. 12.*b.*
Infantium uagitus. Dixi ſupra de Vagitu. 13.*a.*
Ex quo intelligi licet, non naſci longe optimum 13.*a.*
eſſe, nec in hos ſcopulos incidere uitæ: proximum autem, ſi natus ſis, quamprimum mori, & tamquam ex incendio effugere fortunæ. Quod fragmentorum inueſtigatores tertium fragmentum fecerunt, tertio loco inſertum eſt. Vt correxit Patricius, delens uocem Violentiam, ſic legit imitator. Addidit uocem Eſſe, ex Tuſc. ubi ſic legitur; Non naſci hominem longe optimum eſſe: proximum autem quamprimum mori.
Sileni quæ fertur fabula idem certe confirmat, qui 13.*b.*
captus à Mida, miſsionem doctrina redemit. docuit autem Regem, numquam naſci optimum eſſe, ſed celeritatem mortis proxime accedere. ex Tuſcul. Fertur etiam de Sileno fabella quædam; qui, cum à Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur; docuiſſe Regem, Non naſci hominem &c.
Idemq. Euripidis teſtimonio, poetæ ſapientiſsimi, 13.*b.*
comprobatur. Ex Tuſcul. Qua eſt ſententia in Creſphonte uſus Euripides; Nam nos decebat, &c. Vitauit imitator recitationem uerſuum, ut imitatio magis occultaretur.

13.b. *Sed Crantor noſter patri, filij mortem ægerrime ferenti, reſponſum ait datum eſſe in Pſychoman tio, filio ſuo bene, beateq. eße, utiliuſq. futurum fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione fatis conceſſiſſet. Ex Tuſc. Simile quiddam eſt in Conſ. Crantoris: ait enim Terinæum quendam Eliſium, cum grauiter filij mortem mæreret, ueniſſe in Pſychomantium, quærentem, quæ fuiſſet tantæ calamitatis cauſſa: huic in tabellis tres huiuſmodi uerſiculos datos;*

Ignaris homines in uita mentib. errant.
Euthymus potitur fatorum munere læto.
Sic fuit utilius finiri ipſiq. tibiq.

13.b. *Imitator dixit Filio ſuo, pro Filio eius; & Fatis conceſſißet; quod non eſt Ciceronianum.*

14.a. *Ne hic ad moleſtiam, doloremq. alendum angulus relinquatur. Pro, Ne huius argumenti uis, quæ poſſet moleſtiam, doloremq. alere, declinetur.*

14.a. *Angulū obijcere, Pro, Anſam præbere, uel locum, quo tuto ſe quis recipiat, aperire.*

14.a. *Obſtringere nobis mortem argumentis. Pro, Argumentis probare, morti nos eſſe obnoxios.*

14.a. *Dicitur futuri poſt mortem temporis cura hoīs pro pria nō eſſe: quæ tamē uidetur eſſe propria hoīs.*

14.b. *Neceſſe eſt autem ſit alterum de duob. aut ſenſus penitus omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quòd ſi morte ſenſus extinguitur, obituſque noſter ci ſomno ſimilis eſt, qui nonnumquam etiam ſine*

uiſis

uiſis ſomniorum placatiſsimam quietem affert; quid lucri eſt emori? aut quod omnino tempus reperiri poteſt, quod ei tempori anteponatur, cui ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis ætatis? Sin migrationem malimus eſſe mortem in eas oras, quas è uita profecti incolunt; quid optabilius.&c. Ex Tuſc. Quæ eſt igitur Socratis oratio, qua facit eum Plato uſum apud iudices iam morte multatum? Magna me, inquit, ſpes tenet, Iud. bene mihi euenire, quòd mittar ad mortem. neceſſe eſt enim ſit alterum de duob. ut aut ſenſus omnino mors omnes auferat, aut in alium quidem locum ex his locis morte migretur. Quamobrem ſiue ſenſus extinguitur, morsq. ei ſomno ſimilis eſt, qui nõnnumquam etiã ſine uiſis ſomniorum, placatiſsimam quietem affert; dij boni, quid lucri eſt emori? aut quàm multi dies reperiri poſſunt, qui tali nocti anteponantur, cui ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis temporis? quis me beatior? ſin uera ſunt, quæ dicuntur, migrationem eſſe mortem in eas oras, quas, qui uita exceſſerunt, incolunt; id multo iam beatius eſt. Cicero ingenue confeſſus eſt, ut ſolet, illa uerba eſſe Platonis ſub perſona Socratis. Imitator uero, nulla habita mentione nec Platonis, nec Socratis, ea quamuis paulliſper immutata ſua facere conatus eſt. Præterea Cicero Platonem ſpectans, qui dixit, εἴ τε, εἴ δ', conuertit, Siue, Sin. At imita-

tor ſcripſit Si, Sin. qua in re etiam Ciceronem, ſi Dijs placet, de parum emendata elocutione Sigonius audet reprehendere. Ille numquam dixit ex ſua perſona, ſi animus eſt mortalis, admirabile lucrum eſſe emori. immo diſputauit, ſi animus poſt mortem non eſt, eum nihil poſſe eſſe, ita ne quietum quidem eſſe. At hic id ipſum illi tribuit.

15.*a.* *Ad meos autem et affines, & amicos ut peruenero, quantopere lætabor? quæ iucundior collocutio, qui ſuauior, uel congreſſus, uel complexus? Ex eadem Tuſc. ubi conuertuntur uerba Platonis in Apologia Socratis, Vt uero colloqui cum Orphæo, Muſæo, Homero, Heſiodo liceat, quanti tandem æſtimatis? Ex ſua perſona Cicero reprehendit huiuſmodi collocutionem. nec uſurpat umquam Affines pro omnibus propinquis, & cognatis.*

15.*b.* *Si amor, ſi pietas filiæ, ſi uirtus, ſi grauitas, ſi conſtantia, ſi cetera, quæ uix in fœminis ſpectari, nedum requiri ſolent, conſideranda ſint; tanta facta iactura grauiſsime dolere debuimus. At plus eſt ſpectari, quàm requiri. At debuit Cicero maxime lætari, ſi uerum eſt id, quod ſupra concluſum eſt, Mortem in beneficij loco tributam à Dijs immortalibus ijs, quos maxime dilexerunt, pag. 11.b.*

IN

IN QVARTA PARTE.

IS *ſe hominem eſſe meminerit;nihil autem humanius eſſe morte,ut,ſi mors ab ipſo diuelli, atq. auferri poſſet;Dijs propior habendus eſſet, quàm hominib. nec omni ex parte hominis nomen ipſi congrueret,& præcipua hominis conditione uteretur.Pro,Auferri poſsit, Habendus ſit,Congruat,Vtatur. Vel, Nihil homini conuenientius eſſe morte,quæ ſi ab ipſo diuelli, atque auferri poſſet, & c. Humanus autem,cum ſit comparatiuum,aut ſuperlatiuum,uidetur benignum ſignificare,maxime apud Ciceronem.*

Reſpondere animum.Non Ciceroniane dictum. 16.b.

Ad futuram uitam, tamquam ad patriam,improprie dictum in perſona Ciceronis. Morientium affines. Sæpe hæc uox male uſurpatur in hoc libro. 17.a.

Libentius abhorrere. Quis umquam Libēter cum huiuſmodi uerbo poſuit? Indecentius,uox non Ciceroniana. 17.b.

Quid ſi noſtrorum mortem dolemus, cogitemus, eos quoque ſuorum mortem uidiſſe, patienterq. tuliſſe. Quomodo poteſt hoc ſimpliciter dicere? 17.b.

Statim eorum conſuetudinem reguſtabimus,& ad ſuauiſsimam uel conſuetudinem, uel conuictum redibimus.. Quid ineptius hac Battologia? 18.a.

Cum nullo,uel certe cum modico dolore. Cacophonia 18.b.

nia à Cicerone damnata.

19.b. *Hiccine ille Cicero, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua? Ex 3. Tuſc. & ex ultima epiſt. lib. 9. Fam. Cicero ille,*

Quem aſpectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua.

20.a. *Voce denique ipſa, & oratione frui. Vtimur uoce, Vtimur oratione, non fruimur, niſi ſi in alio aliquo nos ea delectet.*

20.a. *Tam multis ex aduerſo miſerijs. Pro, Ex altera parte.*

20.a. *Pharmacorum genera multa. Pro, Remediorum.*

20.b. *Si quis tibi in morte ſenſus eſt. Inepte uidetur ea de re dubitare, quam tamquam certam probat; & dicit, In morte, pro, poſt mortem.*

IN QVINCTA PARTE.

21.b. *Sed neſcio qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio ueri. Fragmentum à Sigonio quartum numeratum, & ab imitatore poſt tria priora inſertum.*

22.a. *Mortem eſſe bonorum miniſtram. Pro ea, quæ dat, aut affert bona.*

Cato ſic è uita diſceſſit, ut lætaretur, cauſſam ſe nactum eſſe moriēdi. Ex Tuſc. Cato autem ſic abijt è uita, ut cauſſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet.

22.b. *De quo eſt apud Herodotum, illum Xerxi reſpondiſſe.*

diſſe. Pro, Quem eſt apud Herodotum Xerxi re ſpondiſſe.

Ne mortis ſuauitatem, quanta eſt, omni ex parte deguſtaremus. Si Deguſtare eſt leuiter guſtare, & attingere, quo modo ex omni parte? ſi ex omni parte, id eſt, penitus, omnino plane, quo modo leuiter? 23.a.

Delectamur diſcentes, angimur ignorantes. Pro, diſcendo, ignorando. helleniſmum olet. 23.b.

Oſor, Detractor. Voces non Ciceronianæ. 23.b.

Dicitur, Miltiadem fuiſſe in exilium miſſum, qui non exulauit, ſed poſt trecenta millia Perſarum Marathone deuicta, in carcere, et uinculis mori coactus eſt. auctor Valerius, & Plut in uita Periclis. quod mecum ſcripſit uir doctiſsimus, Vincentius Caſtellanus. 24.a.

Dicitur quoque, Ephialtem in exilium pulſum eſſe, quem nuſquam conſtat exulaſſe, ſed tantum, cum eſſet populo gratiſsimus, inimicorũ inſidijs necatum fuiſſe. de eo enim ſic ſcriptum reliquit Plut. in uita Periclis; Ephialtem, cum meticuloſus nobilitati foret, ex in exigendis rationibus, perſequendiſq. populi aduerſarijs implacabilis, inimici Ariſtodico Tanagrico percuſſore clam per inſidias adhibito oppreſſerũt, ut Ariſtoteles affirmat. Hoc quoque mecũ notauit uir præclara doctrina ornatus Vincentius Caſtellanus.

Scipio Africanus inuentus eſt mortuus, & icc irco celebratur calamitoſus, qui potius celebrari de- 24.b.

bet

bet felix,ſi mors affert felicitatem,ut probatum eſt.pag.11.a.

24.b. *Metellus Numidicus,ne in legem pernicioſam iuraret,in exilium abire coactus.Sigonius reprehendit quoſdam,qui monuerunt, dici debuiſſe, Quòd in legem pernicioſam iuraret, & dicit eos plane neque hiſtoriam intelligere, neque Ciceronis conſilium aſſequi. neque enim Metellum in exilium ire coactum eſſe, quia iurarit, ſed quia iurare noluerit. ego uero puto dici debuiſſe, Quòd non in legem pernicioſam iuraret. quod etiam illi fortaſſe intellexerunt, & non id,quod dicit Sigonius, omnia trahens in peiorem partem.*

25.b. *Luce utimur.Pro,Fruimur.*

IN SEXTA PARTE.

25.b. *Mortem ſibi dedita opera conſciuiſſe ſcio.Illud,Dedita opera,uidetur ſuperuacaneum:*

26.a. *Appetiuerũt ultro mortem. Ergo uitam eſſe fugiendam iudicarunt.poteſt negari conſecutio. appetiuerunt enim mortem,non ſimpliciter,ut fugerent uitam, quæ per ſe iucunda, & expetenda eſt: ſed,ut miſerias ſibi imminentes uitarent, quas ſe ferre non poſſe arbitrati ſunt.*

26.a. *Homines à mulierculis exempla petere. Rurſus Homines,pro uiris.*

26.b. *Celebratur miſerum hominum genus ex eo, quòd homi-*

hominum crudelitate moriatur. At ſi mors eſt bonum,ut concluſum eſt pag. 11.a.minime graue eſſe debet,hominũ extingui ſæuitia,& acerbitate,qui,dum crudelitatem exercent ſuam,potius bonum, quàm malum afferunt ijs, in quos exercent.

Pati mutationem.Pro,Immutari. 27.*b.*

Animum ſimul cum homine interire. Id eſt, animum ſimul cum animo, eſt enim apud Ciceronem Homo,animus. 28.*b.*

Fœmineam mollitiem exuere, Fœmineus,non eſt uox Ciceroniana. 29.*a.*

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem, Illaq. uirgo uiri.Ex lib.1.Officiorum. 29.*a.*

Pati mala. Pro,Incidere in mala. 29.*b.*

Summa eſt ratio, & ſapientia, humanæ neceſſitati imperare. At quis umquam neceſsitati imperauit? 29.*b.*

Angamur liberorum,aut affinium interitu? Rurſus uox Affinium perperam, pro omnibus propinquis, & cognatis. 30.*a.*

IN SEPTIMA PARTE.

Sic argumentari uidetur; Anaxagoras reſpondit,ſe filium, qui mortuus erat, mortalem genuiſſe. ergo Anaxagoras morte filij lætatus eſt. Quæ concluſio eſt iſta? 30.*b.*

Significat,paucos Romanos fuiſſe fortes in obitu 31.*a.*

ſuorum;ipſosq. Romanos reprehēdit tamquam ea in re proſtratos, ac penitus abiectos. Eius uerba ſunt; Vellem & hoc ipſum de pluribus ex noſtris dicere liceret, quos ſi qua interdum Fortunæ oppreſſit iniuria, nihil aliud iudices, quam proſtratos illos, ac penitus abiectos. Sequitur grauior reprehenſio in hunc modū; Quaſi uero aliquid acciderit, quod uel antè ipſos nemini, aut quod ipſis ſi minus hoc tempore, ſaltem paucis poſt annis non euēturum fuerit. ac, cum maxime animo uigere deberent, tum præcipue non ſolum præteritæ, patriæque uirtutis, ſed etiam humanæ legis, ac pæne obliuiſcuntur ſui. tantum in eorum animis mollities poteſt, ac ſeruitus quædam doloris, atque iuſtitiæ. Hæc ille. Vbi dicit, Vel, Aut, cum Cicero ſoleat dicere, Vel, Vel, &, Aut, Aut. Præterea, Si minus hoc tempore, ſaltem paucis poſt annis; cum hic, Si minus, at ſaltem. Sed hoc obiter. Iam, cum hoc in loco notet paucitatem Romanorum, qui talem fortitudinem oſtendant, & celebrans Græcos uituperet Romanos, qui nimiam mollitiem, ac ſeruitutem quandam doloris, atque iuſtitiæ præſeferant: tamen pag. 41. a. mire laudat Romanos tamquam, ut ipſe ait, ſuperioribus Græcis comparandos, atque etiam anteferendos. & pag. 45. b. ſcribit, Lacænis Romanarum uirtutem fuiſſe parem fortaſſe, uel etiam ſuperiorem: ac, poſteaquam plures commemorauit Romanos,

nos, qui mortem ſuorum forti animo tulerunt, pag. 47. a. concludit, de Romanis fuiße plurimos, quibus mortis ſenſus non modo non ingratus, ſed etiam optatus, & iucundus accidit; intelligens ſenſum mortis, non quòd ipſi morerentur, ſed quòd ſentirent ſuos eſſe mortuos, (egerat enim de illis, qui in ſuorũ morte egregie ſe geſſerant) etiam ſi ſtatim ſubiungat exẽplum Theramenis, qui fortis fuit, cum ſibi ipſe moriendum eſſe intelligeret.

Commemoratus eſt Xenophon ante Periclem, cum commode commemorari poſſet ex ordine temporum Pericles ante Xenophontem. 32.b.

Deos ipſos, quib. litabatur, teſtatus eſt, maiorem ſe ex filij uirtute uoluptatem, quàm ex obitu moleſtiam cepiſſe. Ex Val. Max. Numina, quibus ſacrificabat, teſtatus, maiorem ſe ex uirtute filij uoluptatem, quàm ex morte amaritudinem ſentire. 32.b.

Neque filij morte. Pro, Ne filij quidem morte. 33.b.

Videtur ſignificare filium Xenophontis in prælio cecidiſſe apud Mãtineam pro patriæ ſalute, atq. utilitate, qui mortuus eſt pugnans pro ſalute, & utilitate Lacedæmoniorum, quorum afflictis reb. Athenienſes opitulati ſunt aduerſus Thebanos, & apud quos filij Xenophontis inſtituti fuerant. 32.a.

Miris laudib. effertur Pericles, quòd mortem filiorum ſuorum mirabiliter tulerit. Non tamen tam 33.b.

conſtans fuit, ut de omnib. liberis ſuis, cum mortui ſunt, dolori reſiſtere potuerit. Nam morte Parali ualde eſt conturbatus.

34.a. *De quo traditum eſt, nihil eum putauiſſe. Pro, Quem traditum eſt, nihil putauiſſe.*

34.b. *Cum ad eum, uelut ad agrum optimum cultura, ratio etiam acceſſerit, conformatioq. doctrinæ. Ex oratione pro Archia.*

35.a. *Commemoratus eſt Harpagus, quem incertum eſt à Cicerone fuiſſe nominatum.*

35.b. *Cum nominis ſui gloria. Cacephatum à Cicerone reprehenſum.*

36.a. *Indecens. Vox non Ciceroniana.*

36.b. *Vt tyrannum nemo miſereatur. Pro, Tyranni.*

37.a. *Mentio fit Dionis, quem non conſtat à Cicerone fuiſſe commemoratum.*

37.b. *Vbi legitur Trabeaſpas, correxi ex Herodoto, Præxaſpes, quem quoque incertum eſt, an Cicero nominaucrit.*

37.b. *Dicitur Præxaſpes nullum cepiſſe dolorem ex crudelitate, qua uſus eſt Cambyſes in filium eius, propterea quòd nullum doloris ſignum dedit, nec uſquam conuertit, aut commouit faciem. At occultauit dolorem: & lacrymas non effundere, quandoque eſt ſignum maioris doloris.*

38.a *Num credamus? Pro, Nonne credamus?*

38.b *Cum noſtro uulneri medeamur. Cacophonia ſæpe*

ſæpe à nobis. obſeruata contra præceptum Ciceronis.

Notatur, deeſſe nonnulla : et tamen uidetur locus continuari. Id factum eſt, ut mecum ſenſit uir apprime litteratus, Vincẽtius Caſtellanus, tum, ut uideretur eſſe antiquum opus: tum, ut, ſi quid noui inueniretur ex uera Ciceronis Conſolatione citatum, quod ab iſta noua abeßet Conſolatione, id ibi fuiſſe dici poßet, ubi lacuna eſt. 39.a.

Videtur aliquid deſiderari, ubi legitur, Idq. ſi ullo in caſu contingit, certe cum dolore affligimur, maxime ſolet euenire : intelligendum enim eſt, non ſimpliciter nos medicinam refugere, cum dolore affligimur, ſed cum ob mortem noſtrorum. 39.a.

Erepti uel amici, uel affinis, uel filij cogitatio. Frequentatur uox Affinis, pro omni propinquo, & cognato. 39.a.

Tempore ipſo factum eſt, ut mens eſſet ad medicinam accipiendam magis idonea. At in principio dicebatur, Morbum eſſe recentem, cui medicina Conſolationis adhiberetur contra præceptum Sapientum. 40.a.

Ad amicos, aut affines. Ignorat hic auctor propriam ſignificationem Affinium. Ex affinitate, aut beneuolentia. Affinitas non debet accipi pro qualibet propinquitate, & cognatione. quod alibi ſatis probaui. 40.b.

41.a. *Superioribus Græcis comparare. Pro, antiquis,& priſcis. At ſuperius uidetur ſignificare ab ætate noſtra non nimis remotum, aut etiam proximum.*

41.b. *Q. Fabius recenſetur ante Puluillum. & tamen commode poſt Puluillum poſſet recenſeri.*

42.a. *Vt nullum pæne doloris paullo acrius indicium ediderit. Pro, Acrioris.*

42.a. *Concionem ad populum habuit. Quis unquam addidit illud, Ad populum?*

42.b. *Horrida tempeſtate. Olet Horatium.*

42.6. *In congreſſu hoſtium, Duriuſcule, pro, In pugna aduerſus hoſtes.*

43.a. *Iam quid Piſones, Scaeuolas, Brutos, Marcellos, Metellos, Lepidos, Aufidios enumerem? quorum ſinguli plurib. amiſſis filijs, uel uxoribus, uel parentibus, nec lugendum exiſtimarunt. Haec eſt potius nominum congeries, quam orbitatũ explicatio. At D. Hieronymus teſtatur, non breuiter exempla a Cicerone congeſta, ſed Maximorum, Catonum, Gallorum, Piſonum, Brutorum, Scaeuolarum, Metellorum, Marciorum, Craſſorum, Marcellorum, aque Aufidiorũ (nullam enim mentionem facit Lepidorum) orbitates in Conſolationis libro explicatas fuiſſe. quod mecum uidit uir perſpicaci ingenio præditus, Vincentius Caſtellanus.*

43.b. *Commemorantur Cæpio, & Lepidus, quos incertum eſt, an Cicero commemorauerit.*

Quo-

Quorum ſinguli. Pro, Qui ſinguli, uel Quorum unuſquiſque. 43.b.

Populus Rom. in munerib. publicis inuiſos habet gladiatores, qui omni modo uitam impetrare cupiunt; fauet ijs, qui contemptum eius præſe ferunt. Ex oratione pro Milone; In gladiatorijs pugnis ſimiles, & ſupplices, et, ut uiuere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus: fortes, & animoſos, & ſe alacriter ipſi morti offerentes, ſeruare cupimus. Mirum eſt, Sigonium uoluiſſe hunc locum primum pro fragmento incerto Ciceronis, deinde pro fragmento Conſolationis uenditare. 44.b.

Lacænas matronas traditum eſt, occiſis filijs uulnera inſpicere conſueuiſſe: ac, ſi aduerſos uulneratos eſſe comperiſſent, lætabundas funus ducere ſolitas eſſe: contra uero, quos auerſis uulnerib. conciſos agnoſcebant, ab ijs refugientes, clam ſepeliendos curabant; nec ullo prorſus honore funeris proſequendos ſtatuebant: tantum in fœmineis quoque animis deus poterat. Laetabundas, uox non Ciceroniana. Curabant, nec ſtatuebant; pro, Curaſſe, nec ſtatuiſſe. Fœmineis. Vox non Ciceroniana. 45.a.

Rutilia ponitur inter exempla earum perſonarum, quæ fortiter mortem ſuorum tulerunt. quam tamen incertum eſt à Cicerone fuiſſe poſitam. quòd ſi poſita fuit, potuit eam Seneca à Cicerone accipere, & iſte imitator à Seneca. 45.a. 46.a.

47.a. *Theramenes,ueneno epoto, maxima æquitate animi, ludens in morte,quod erat in poculo reliquũ,Eritiæ propinauit.Ex Tuſc.Theramenes, cum cõiectus in carcerem triginta iuſſu tyrannorum uenenum ut ſitiens obbibiſſet,reliquum ſic è poculo eiecit,ut id reſonaret:quo ſonitu reddito,ridens,Propino,inquit, hoc pulchro Critiæ,qui in eum fuerat teterrimus.*

47.a. *Nos in filiorum, aut affinium morte lugebimus? Rurſus Affinium, ideſt, propinquorum,& cognatorum.*

47.b. *Nec amplius liceat homini, qui è uita diſcedat, ſuis opib.bonis, diuitijs, perfrui;*
Aſtante, ut ille ait, ope barbarica,
Tectis cælatis,laqueatis.
Ex Tuſc. Priamus ſi uiuis filijs, incolumi regno,occidiſſet,
Aſtante ope barbarica,
Tectis cælatis, laqueatis.

IN OCTAVA PARTE.

47.b. E *Luceſcit, pro, Elucet. Non eſt uox Ciceronis.*
48.a. *Metelli ſibi fortunam ſperant omnes: Priami ſobolem,ac regnũ exoptant alij; quaſi nõ & Metellus tã multos nactus filios, ac nepotes,cũ maxime beatus eſſe poſſet,inuitus obierit; & Priamum non omni orbatum progenie, ſummoq.dolore confectũ hoſtilis manus interemerit.*

rit. Ex Tuſc. Metellus ille honoratus quattuor filijs: at quinquaginta Priamus, è quib. decem, & ſeptem iuſta uxore nati. in utroque eandem habuit fortuna poteſtatem. ſed uſa in altero eſt. Metellum enim multi filij, filiæ, nepotes, neptes in regnum impoſuerūt: Priamum autem, tanta progenie orbatum, cum in aram confugiſſet, hoſtilis manus interemit.

Metellus in eo miſer fuiße dicitur, quòd tam multos nactus filios, & nepotes, cum maxime beatus eſſe poſſet, inuitus obierit. Sed erat potius felix celebrandus, ſi mors in bonis eſt, ut ſupra probatum eſt pag. 11.a. 48.a

Hinc illa miſerabiliter decantata; 48.b

Hæc omnia uidi inflammari;
Priamo ui uitam auferri;
Iouis aram ſanguine turpari.

Ex Tuſc. Nec tam flebiliter illa canerentur;

Hæc omnia uidi inflammari;
Priamo ui uitam euitari;
Iouis aram ſanguine turpari.

Mutauit imitator uocem Euitari, in Auferri.

Num ei eueniſſet? Pro, Nonne ei eueniſſet? 48.b.

Quid fugam Marij, quid cetera, quæ in illius diſceſſu acciderūt, maxime luctuoſa, ſummeq. miſeranda commemorem? quid reditum illum ſanguinarium, cuius ex recordatione nemo eſt, qui non intimis ſenſib. exhorreſcat. Ex Mureto; Quid iam illos turbines, illas procellas, 49.a.

illas

illas tempeſtates ciuilium diſſenſionum commemorem?

49.b. *Tenemus enim memoria, aut ſaltem ex patrum ſcriptis accepimus, crudeliſſimam omnium cædem illo tempore eſſe factam. Ex eodem; Cum paſſim per uias immanium gladiatorũ in principes ciuitatis debacchabatur furor.*

49.b. *Trucidatos bonos uiros, & ciues, inciſas eorum ceruices, in Roſtriſq. poſitas, qui multorum ciuium ſalutem, & dignitatem eloquentia pepeříſſent. Ex eadem; Cum quorum eloquentia ipſis gloriæ, alijs admirationi, Reip. ſaluti fuerat, eorum ex illis ipſis roſtris, in quib. tam ſæpe concionati erant, inciſis ceruicib. capita ſanguinolenta pendebant.*

49.b. *Quàm multos ex illa Reip. tempeſtate commemorare poſſumus innocentiſſimos homines, atq. optimos, ut acerbiſſimam calamitatem effugerent, libertatẽ morte quæſiſſe. Ex eadem; Quib. non unus, aut alter præclarus, et ſalutaris Reip. ciuis perculſus eſt, ſed ipſi acerui, ipſa millia immortalitate dignorum hominum nefarijs hominum conſceleratiſſimorum manib. trucidata iacuerunt.*

49.b. *O' acerbum, ac nemini non pænitendum Reip. ſtatum, condicionemq. uiuendi. Ex eodem; O' acerbum illud, & uel Romani nominis hoſtib. miſerabile ſpectaculũ. Adhibuit imitator uocẽ Pænitẽdum, quæ rarius à Latinis uſurpata eſt.*

Cum

Cum eos ipſos, qui Remp. ſuo labore, ſuoq. ſanguine auxerint, iuuarint, ſeruarint, nuſquàm tutos, nihilq. magis, quàm propinquorum manes, ac gladios, timentes, horreſcentesq. uideas. Ex eodem; Cum qui aliquando Reip. præſidio fuerant, eis nullum in ciuitate præſidium reperiebatur. Simulator dixit Iuuarint, pro, Iuuerint. 49.b

Itaque imbelles, & infirmas copias, tyrones, collectitioſq. milites cum robuſtiſſimus legionib. conferre non dubitauit: & amiſſo exercitu, ereptiſq. caſtris turpiſſime uictus in ſeruorum manus uir ſummus, & clariſſimus incidit. Ex epiſt. fam. lib. 6. Ex eo tempore uir ille ſummus, nullus imperator fuit. ſigna tyrone, et collectitio exercitu cum legionib. robuſtiſſimis contulit. uictus turpiſſime, amiſſis etiam caſtris ſolus fugit. 51.a.

An non optimam, beatamq. mortem iudicabat L. Brutus, cũ Tyrannum arcens, quem expulcrat, uitam pro nihilo ducebat? Item Decij quo tempore cum Latinis pro patria dimicantes ſeſe hoſtium telis obijciebant? præterea Scipio, Paullus, Marcellus, Albinus, quos uitam in acie iuuandæ patriæ cauſſa fortiſſime profudiſſe memoriæ proditum legimus? Ex Tuſc. Mors quidem ſi timeretur, non L. Brutus arcens eum reditu tyrannum, quem ipſe expulerat, in prælio concidiſſet: non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruſcis filius, etiam cum Pyrrho 51.b. 52.a.

nepos, ſe hoſtium telis obieciſſet, non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hiſpania uidiſſet, Paullum Aemilium Cannæ, Venuſia Marcellum, Latini Albinum, Lucani Gracchum. Errauit imitator, dum ſcripſit, Decios cum Latinis pro patria dimicantes ſe ſe hoſtium telis obieciße, cum unus tantum Decius pater pugnans contra Latinos ſe deuouerit, ceteri contra alios. Errauit præterea, cum unum Scipionem nominauit, cum duo à Cicerone ſignificentur. Prætermiſit Gracchum, fortaſſe propter hiſtoriæ ignorationem, ob quam cauſſam poterat etiam Albinum omittere.

52.a. *Cum auctor Conſolationis dicat, Decios eum Latinis pro patria dimicantes ſeſe hoſtium telis obieciße; Cicero uero tantum patrem cum Latinis, at filium cum Etruſcis, & nepotem cum Pyrrho; pro ipſo Cicerone ab aduerſarijs oppugnato, quòd Etruſcos nominauerit pro Gallis, addendum eſt, ne Liuium quidem, quem illi adducunt teſtem, negare lib. X. non defuiſſe auctores, qui ſcripſerint, in exercitu hoſtium, cum quibus pugnauit Decius filius, peditum quadraginta millia trecentos uiginti, equitum ſex, & quadraginta millia, mille carpentorum fuiſſe, ſcilicet cum Vmbris, Tuſciſque, quòd et ipſi Tuſci illi pugnæ affuerint; quos auctores, fieri poteſt, ut Cicero ſecutus ſit, & non eos, quos ſibi Liuius ſequendos putauit: ut mecum obſeruauit*

ſeruauit

ſeruauit uir hiſtoriæ obſeruantiſſimus, Vincentius Caſtellanus.

Cum nullo. Cacophonia, tam ſæpe in hoc libro uſurpata,& tantopere à Cicerone damnata. 52.a

IN NONA PARTE.

QVi,ut Panætius Africanũ dicere ſolitum tradit,ferociores equos domitorib.tradendos eſſe,ut paullatim parere,ſeq.mitiores,ac molliores præbere incipiant: ſic ipſe in gyrum fortitudinis, ac patientiæ reducendi ſunt,ne,ſi mors imprudentes oppreſſerit, perterreantur, planeq.cõcidant.Ex lib.1.Off. Panætius quidẽ auditorem Africanum,ac familiarem ſuum ſolitum eſſe dicere ait,equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes domitorib.tradere ſoleant, ut his faciliorib. poſſint uti.ſic homines ſecundis reb.effrenatos,ſibiq.præſidentes, tamquàm in gyrum rationis, & doctrinæ duci oportere, ut perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem,uarietatemq. fortunæ. 52.b

Sed neſcio,quo modo uoluptate,luxuq.delenita hominum conſuetudo de recta maiorum uia deflexit,eoq.ſenſim delata eſt, ut nihil minus, quam uerum, agnoſcat, nec, cum aliquid agitur, rectum id,nec ne ſit,magnopere cogitet.qua nulla maior peſtis,ac pernicies humanis reb.ualde 53.a

iam

iam labefactatis,potuit afferri. Ex lib.2.Off.In quo uerbo lapſa conſuetudo deflexit de uia, ſenſimq.eò deducta eſt,ut ab honeſto utile ſecerneret,& conſtitueret honeſtum aliquod, quod utile non eſſet, aut utile, quod non honeſtum. qua nulla pernicies maior hominum uitæ potuit afferri.

53.a. *Acute cogitatum eße deprehenditur. Pro,Reperitur,aut Animaduertitur. At uix inuenias uerbum Deprehendere,non in malam partem acceptum, ut in adulterio,in furto,& ſimiliter.*

53.b. *Itaque in fabulis, quos Dij maxime adamarunt, eos ne imminentem aliquam calamitatem ſentire cogerentur, ſi uigilaſſent, à Dijs immortalib. conſopitos eſſe accepimus. Dicendum erat, Ab ipſis Dijs,uel Ab eiſdem Dijs,ne alij Dij uideãtur eſſe,qui adamarint,alij,qui conſopierint. immo,cum loco ſecundo additum ſit,Immortalib. priores Dij uidentur quodammodo alterius naturæ fuiſſe.*

56.a. *Præfinitum eſſe uitæ terminum à Deo,quem præterire,aut ex quo egredi nemini liceat.Ex Iob.*

56.b. *Quoties aliquid moleſte experiantur, tũ mortem exoptent. Quoties,pro,Quando. At teſte Valla Cicero fere numquam utitur Quoties pro Quãdo, niſi addat Toties.*

56.b. *Videtur ſic argumentum duci; Dum moleſti aliquid experiuntur,mortem exoptant. ergo mors eſt bonum.Negari poteſt conſecutio.*

Cum

Cum neminem probatum ſit. Cacophonia, ſæpe alibi à me notata. 57.*a*.

In cœleſtes ignes, ſempiternaſq. domus, unde exierat, reuertit. Ex Somnio Scipionis. 57.*b*.

Cum nec ipſi quidquã acciderit. Cum natura congruat. Cacephatum tam ſæpe frequentatum. 59.*a*.

Res communicat cum omnibus hominibus. Pro, communis eſt omnibus. 59.*a*.

Dijs immortalib. gratulari. Si Gratulari, pro gratias agere, quis ita uſus eſt? Si in propria ſignificatione, quis umquam cuiquam gratulatur de aduerſis? & quomodo ea cadunt in Deos? 59.*b*.

Cum nihil niſi rectum cogitaret: Vtitur, qua ſolet, Cacophonia. 59.*b*.

Quibus maxime reb. egere ſępe homines ſolemus, fortitudo, & prudentia, hæ ita in muliere abundabant. Si ſpectetur uerbum Egere, dicendum eſſet, Fortitudine, & Prudentia. Si uerbum Abundabant, uidetur abũdare dictio Hæ. Præterquam quòd ponuntur Homines pro uiris. 60.*b*.

IN DECIMA PARTE.

DEprchendi poſſit. Pro, Reperiri. de quo dixi etiam ſupra. 63.*a*.

Animorum nulla in terris origo inueniri poteſt. & c. Hoc fragmentum inueſtigatores fragmentum quinctum fecerunt. imitator ex illorum præſcripto quincto loco inſeruit. Quamquam

de

de immortalitate animorum uidetur Cicero diſputaſſe in principio Conſolationis,& non prope finem,ut alibi oſtendi.

65.b *An cenſemus, aut ſapientiſſimos homines tam æquo animo mori poſſe,aut tam iniquo,planeq. inuito ſtultos,& fatuos? Ex Catone Maiore; Quid? quòd ſapientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo?*

66.a *Ex ipſis etiam ſacris,cærimonijsq. maiorum æternam hominis uitam facile cognoſci, atq. intelligi poſſe. neque enim illi aut mortuos tanto honore coluiſſent, aut tam multas, tamq. uarias ſepulcrorum cærimonias poſteris tradidiſsent,niſi cognitum,perſpectumq. habuiſſent, uigere animum in morte, nec,quamquàm corpus occidat,hominem ipſum penitus euaneſcere. Itaque ſtatuiſſe uidentur, mortem ipſam non eſſe humanæ uitæ confectricem,nec ex ea ſequi interitum,ſed potius ad aliam multo feliciorem uitam ijs, qui recte uixiſſent, ducem optimam ſolere exiſtere. Ex Tuſc. Id cũ multis alijs reb. tum è pontificio iure,& cærimonijs ſepulcrorum intelligi licet; quas maximis ingenijs præditi nec tanta cura coluiſſent, nec uiolatas tam inexpiabili religione ſanxiſsent,niſi hæſiſset in eorum mentib. mortem non interitum eſſe, omnia tollentem,atq.dolentem,ſed quandam quaſi migrationem,cõmutationemq uitæ,quæ in claris uiris,et fœminis dux in cœlũ ſoleret eſſe. Dixit*

xit imitator, Vigere animũ in morte. i. poſt mortẽ.

Sterilitatem paſſa eſſe. Pro eo, quod eſt, aliquando fructum non tuliſſe. 67.b.

Contenditur homini morte ſuorum moderate dolendum. At nihil dolendum, ſi attendantur, quæ de conditione mortis diſputata ſunt, pag. 11.a. 69.b. 70.a.

Cum nihil, niſi quod rectum. Cacophonia illa frequens in hoc libro. 72.a.

Nemo lacrymis decoret, ait Ennius, cur? quia uolito uiuus per ora uirum. Ex Tuſc. 73.a.

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? uolito uiuu' per ora uirum.

Hos uerſus perturbauit imitator, & numerum poeticum quodammodo ad ſe traxit, uerſum heroicum uel in ſoluta oratione contra Rhetorũ præcepta conficiens, niſi quòd in principio ſyllaba breui pro longa uſus eſt;

Quid igitur eſt cauſſæ, cur fletum, lacrymasque recuſet? 73b.

Eum, qui ſic doleat, ut recreari, confirmariq. non poſſit, ne diuinum quidem numen horrere. Pro, uenerari, & uereri. id mihi uidetur minus proprium, & ſuperſtitioſi, uel male conſcij: at hoc in loco accipitur in bonam partem.

IN VNDECIMA PARTE.

Non modo ſingulos homines, ſed totas familias, & uniuerſas funditus euerſas ciuitates uidemus. Ex Mureto; Non ſingulos modo perdiderunt 74.b.

M *homines,*

homines, ſed integras funditus afflixerunt, & euerterunt ciuitates.

75.a. *Eorum animi tamquam hominum de Dijs immortalib. humanoq. genere optime meritorum, in cœlum putentur elati. At non homines de Dijs, ſed Dij de hominibus bene merentur, eisq. benefaciunt.*

75.b. *Diſputatur, hominum non corpora, ſed animos in cœlum elatos eſſe putari; idq. probatur exemplo Romuli. At corpus quoque Romuli in cœlum aſcendiſſe uulgo creditum eſt.*

75.b. *Tempore mortis Romuli dicuntur fuiſſe homines litteris, & doctrinis exculti: cum tamen eo tempore Romani parum fuerint eruditi.*

75.b. *Quod de Romulo urbis noſtræ conditore memoriæ proditum accepimus, quem ſingulare in genus hominum collatum munus tã præclaræ urbis condendæ in deorum numero collocauit. Ex Tuſc. Ex hoc, & noſtrorum opinione Romulus in cœlo cum Dijs agit æuum, ut famæ aſſentiens dixit Ennius.*

76.a. *Quod & apud Græcos prius contigit, & inde fortaſſe ad noſtros permanauit. nam & Hercules, & Liber, fratres Tyndaridæ, & fœminæ plurimæ, quib. nunc inter deos locus eſſe præcipuus creditur, & hominib. nati, & homines fuerunt. Sed, quòd uirtute præſtiterunt, &, ut ceteris ad recte uiuendum, beneq. merendũ prælucerent, laborauerunt, ideo eos hominum fama, benefi-*

ciorum

ciorum memor, in conſeſſu, concilioq. cæleſtium collocauit. atque ipſos, quos uocamus maiorum gentium Deos, aliosq. quamplurimos, quos in Deorum numerũ retulimus, hinc à nobis egreſſos, & in cælum profectos, facillimum erit agnoſcere. Ex Tuſc. Et apud Græcos, indeq. prolapſus ad nos, & uſque ad Oceanum Hercules, tantus, & tam præſens habetur deus. hinc Liber Semele natus. Eademq. famæ celebritate Tyndaridæ fratres, qui non modo adiutores in prælijs uictoriæ populi Romani, ſed etiam nuntij fuiſſe perhibentur. Quid? Imo Cadmi filia, nonne Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à noſtris? Quid? totum prope cælum, ne plures perſequar, nonne humano genere completum eſt? Si uero ſcrutari uetera, & ex his ea, quæ ſcriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner; ipſi illi maiorum gentium Dij, qui habentur, hinc à nobis profecti in cælum reperientur.

Celebratur Hercules tamquam ab omni cupiditate remotus, qui præter alia multa, quæ dedit, incontinentiæ, atque intemperantiæ argumenta, etiam, ut ait ille, ſeruiuit Omphalæ. 77.a.

Quorum alius alio genere uirtutis, omnes ſummis, & ſingularib. uel in ipſos deos, uel in homines meritis præſtiterunt. At, ut etiam ſupra notaui, non homines de Dijs, ſed Dij de hominibus benemerentur. 77.a.

Nec enim omnib. ijdem illi ſapientes & c. Fragmentum 78.a.

mentum ab inueſtigatorib. fragmentorum ſex- tum connumeratum, & à ſimulatore ſexto loco inſertum.

80.*a.* *Numerare Lacedæmonas. Pro, Numerare Lacedæmonios.*

80.*a.* *Ille omnis plane doctrinæ, omniſque ſapientiæ parentes Athenæ. Ex Mureto; Ille omnium laudandarum artium, ipſiusq. adeo humanitatis parentes Athenæ.*

80.*b.* *Traditur multos uirtute præſtantes fuiſſe poſt mortem Deorum immortalium honore conſecratos, ut eo modo poſteri ad uirtutem magis inflammarentur. Eaq; quæſtio ita tractatur, ut illud conficiatur, animos ob unam uirtutem in cælum aſcendere, & in Deos referri, ut non niſi, qui uirtute præditi ſunt, penetrare ad globos cæleſtes, & ad Deorum honores poſſint. Tamen paullo poſt uidetur id tribui uni naturæ animorum.*

82.*b.* *Sine prioris naturæ corruptione. Pro, interitu.*

83.*b.* *In communi omnium gentium, & nationum conſenſu de uirtutib. ad immortalitatis famam conſecrandis, & diuino cultu honorandis, ea commemorantur, quæ in hac materia reticeri fortaſſe debebant, beſtias quoque ipſas ferme omnes fuiſſe conſecratas, & res multas inanimatas in deorum numero repoſitas.*

84.*a.* *Ima ſummis commutare. Olet illud Horatij; Valet ima ſummis mutare.*

Abſui-

Abſurditas.Vox non Ciceroniana. 84.a.

Imperitia.Vox non Ciceroniana. 84.b.

Cũ uero & mares, & fœminas & c.Hoc octauum eſt fragmentum, iccirco octauo loco inſertum, quia à Sigonio octauum numeratum eſt.nec integrum,ut apud Lactantium legitur,inſertum, ſed in duas partes ſectum, cum multarum rerum interpoſitione, & quorundam uerborum deprauatione. 85.a.

Cedo, & manum tollo. Hoc Sigonius ultimum fragmentum fecit, & ideo ſimulator ultimum inſeruit. 87.b.

Te conſecrata,in cælumq. recepta. At ex ſeptimo fragmento apparet,Ciceronem,cum ſe conſolatus eſt,non conſecraſſe,ſed conſecraturum Tulliam fuiſſe. 87.b.

Exultare plane uideor, uictorq. de fortuna, ac de omni prorſus triumpho. At Lactantius teſtatur, Ciceronem in Conſolatione ſua confeßum eße præter morem ſuum ſe ſubiacere fortunæ. qua in re ab eo reprehenſus eſt. nec reprehendi ullo modo potuiſſet, ſi dixiſſet, ſe de fortuna triumphare. 87.b.

Ego multo mihi grauiorem, multoq. iucundiorem cõgreßum noſtrum futurum intelligam, quàm inſuauis, & acerbus digreſſus fuit. Pro,congreſſum multo magis mihi gratum, & iucundum intelligam,quàm inſuauis,& acerbus digreſſus fuit. Vel, Intelligam minus inſuauem, 88.a.

& acerbum digreſſum fuiſſe, quàm mihi gratus, & iucundus congreſſus erit. Vel, Non tam inſuauem, & acerbum intelligam digreſſum fuiſſe, quàm mihi erit gratus, & iucundus congreſſus.

88.4. *Inſuauis, & acerbus. Olet illud Horatij; Habeare inſuauis, acerbus.*

GRAECORVM VERBORVM INTERPRETATIO.

DICETVR *enim uerum.* 13.11.
Criminanti quidem deprauãdum eſſe, in peius arripiendo: defendenti uero in melius. 14.14.
Prætextu tantum eget improbitas. 16.23.
Habenti aduerſus eum, qui non habeat, quod uериſimilia iudicio ſubiecta non ſunt, & quòd nihil opus eſſet teſtimonijs, ſi rationes ſatis non probarent. 17.29.
Etiam in philoſophia ſolertis eſſe, ſimile in longe diſtantibus cernere. 28.13.
Reſpondet Dialecticæ. 29.10.
Perſuaſibile eſt alicui perſuaſibile. & unum quidem ſtatim eſt perſuaſibile per ſe, ac credibile: alterum uero, eo quòd demonſtrari talibus uideatur. 16.
Non perſuaſibilia, propterea quòd nec ex confeſſis, nec ex probabilibus ſint. 20.
Et hoc, quod ſic apparet manifeſtum eſſe aut omnibus, aut plurimis. 23.
Eſt autem propoſitio quidem Dialectica interrogatio, probabilis, aut omnibus, aut plurimis, aut ſapientib. & his uel omnibus, uel plurimis, uel maxime notis, non paradoxa. 31.18.
Probabilis, non paradoxa. 21.
Theſis eſt opinio paradoxa alicuius eorum, qui no- 25.

ti ſunt in philoſophia, ut quòd non eſt contradicere, quemadmodum dixit Antiſthenes: aut quòd omnia mouentur, ſecundum Heraclitum: aut quòd unum eſt id, quod eſt, quemadmodum Meliſſus dixit.

32.24. *Eſt autem hoc, quando ſapiens quidem, ſed cum improbitate deceptus fuerit, ut Siſyphus, & fortis quidem, ſed iniuſtus ſuperatus ſit. Atque hoc ueriſimile eſt, ut Agathon dicit. Veriſimile enim eſt fieri multa etiam præter ueriſimile.*

29. *Et in Rhetoricis eſt apparens enthymema ab eo, quod non ſimpliciter ueriſimile eſt, ſed quoddam ueriſimile. hoc autem non eſt in uniuerſum, ut & Agathon inquit. Fortaße aliquis hoc ipſum ueriſimile eſſe dixerit, Mortalib. multa euenire non ueriſimilia. Fit enim id, quod eſt præter ueriſimile. Quare ueriſimile etiam eſt, quod præter ueriſimile eſt.*

33.16. *Veriſimile eſt propoſitio probabilis.*

34.3. *Propterea quòd talib. demonſtrari uideantur.*

36.6. *Ac demonſtrationis quidem indigentes ſunt, quæcunque paradoxum aliquid dicunt, aut controuerſum.*

37. *De controuerſis, uel paradoxis, non ſine ſubiectione rationis.*

14. *Oportet uti ſententia de ijs, quæ non ſunt paradoxa, ſed obſcura, adijciendo quamobrē concinne.*

38.1. *De ijs, quorum actiones ſunt, & ea, quæ eligimus, aut fugimus ad agendum.*

Contem-

Contemplatio, actio, effectio. 7.
Quarum uero rerum fines quidã ſunt præter actiones, in ijs meliora actibus opera extiterunt. 15
Felicitas bona actio cum uirtute. 20.
In ore multitudinis poſita. 41.2.
Perſuaſibile alicui perſuaſibile eſt, cum tota referatur ad alios traditio de Rhetorica. 44.3.
Mala ſenectus, Bona ſenectus. 48.28.
Mala ſenectus ſeneſcit cito, & dolenter. Bona ſenectus habet tarditatem ſenectutis, & indolentiam. 29.
De ijs, quæ ſunt extra rem. 50.15.
Ea, quæ ſunt de re. 16.
Proaulio in Auleſi. 25.
Procemium demonſtratiuarum orationum, cuius rei exemplum eſt procemium in Encomio Helenæ. 27.
Volumen. 51.6.
Libere enim tecum agam. 65.5.
Morſus canis rabidi. 67.12.
Criminari criminantem. 28.
Videbitur autem fortaſſe melius eſſe, & oportere pro conſeruatione ueritatis etiam propria tollere. 78.7.
Sanctum eſt principem tribuere locorum ueritati. 12.
Eſt enim munus Rhetoricæ apud eiuſmodi auditores, qui non poſſunt ex multis contueri, neque ratiocinari longe, & iudicator ſupponitur eſſe rudis. 80.2.

Quia

98.27. *Quia initio quaſdam ſuppoſitiones falſas, & præter rationem aſſumunt.*

101.10. *Impoßibile.*

107.28 *Adepti.*

108.3. *Accuſo tibi accuſationem iuſtam. Bellum bellare.*

114.15. *Eſt autem ſubſtantia quidem, ut exempli gratia dicam, quemadmodum homo equus.*

116.17. *Sapiens rectiloquus eris.*

28. *Sophiſticam rationem.*

117 2. *Præterea uero tertia honeſtas eſt, quæ ſoluit ſophiſticam rationem. Non enim eſt, ut ait Bryſon, Neminem turpiter loqui, ſiquidem idem ſignificat hoc pro illo dicere. Hoc enim eſt falſum. Nam eſt aliud alio magis proprium, & ſimilius, & accommodatius ad ponendam rem ante oculos: Præterea non ſimiliter ſe habens ſignificat hoc, & illud. Quare ſic etiam aliud alio honeſtius, & turpius ponendum eſt. ambo enim honeſtum quidem, & turpe ſignificant: ſed non quatenus honeſtum, aut non quatenus turpe: aut hæc quidem, ſed magis, & minus.*

119.7. *Quod omnium maximum eſt.*

121 15. *Imago.*

20. *Et ſumere non licet ipſam ab alio.*

27. *Frigus in tranſlationibus. Obſcure.*

28. *Longe.*

133 12. *Pugnandum eſt, aut id, de quo agitur, non eſſe ſimile, aut non ſimiliter, aut differentiam aliquam*

quam habere.

Et in luctibus, & lamentationibus exoritur quædam uoluptas, quòd recordetur, & uideat quodammodo illum, & quæ ageret, & qualis eſſet. Quare etiam illud dictum eſt; Sic ait, & cunctis lacrymarum accendit amorem. 29.

Quamobrem æmulatio bona eſt, & bonorum: inuidere uero malum, & malorum. 149.12

FINIS.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

EMENDANDA.

Pag. 5. lin. 9. impeditur. impeditum. 8. 19. indicandũ. iudicandũ. 14. 11. Hiccine. Hæccine. 27. nomem. nomen. 15. 6. uirtus. uerus. 13. num. nunc. 17. 2. offentionẽ. offenſionem. 18. 6. indicandi. iudicandi. 28. 14. θεωρὲν. θεωρεῖν. 19. 23. neq;. meq. 23. 7. acto. octo. 32. 27. ἐκὸς. εἰκὸς. 34. 15. munus. manus. 36. 13. contratium. contrarium. 24. obſcurum. oſurum. 39. 9. uirtuti us. uirtutibus. 41. 13. ha. hac. 43. 5. Hippocratis. Hippocrates. 50. 16. περὶ τὰ. περὶ τοῦ. 53. 24. quæq;. quoque. 54. 11. hunc. hanc. 55. 5. Conſolationts. Conſolationis. 58. 1. coniunxerunt. coniunxerant. 4. Nam. Non. 60. 25. proximi. proxime. 61. 26. emendare. emendate. 62. 19. &. ea. 69. 25. profiteris. profitereris. 73. 7. putes. potes. 22. nunc. tunc. 78. 20. Incidere uitæ: ſic poſtea. incidere uitæ, ut ornaret illud adiunxit de ſuo, Nec in hos ſcopulos incidere uitæ: ſic poſtea. 80. 4. διὰ πολλῶν. διὰ πόλλων. 100. 10. Lacteſſis. laceſſis. 24. hic. hoc. 113. 2. uſi. uti. 20. nec ne. nec te. 114. 10. aut. at. 115. 20. Tũc. Cũ. 116. 23. Latinæ. Latine. 117. 8. τόδε. ὤςε. τόδε. καὶ τόδε. ὤςε. 10. τὸ αἰσχρὸν, ἢ ταῦτα. Τὸ αἰσχρὸν σημαίνουσιν, ἀλλ᾽ οὐχ ἢ καλὸν, ἢ οὐχ ἢ αἰσχρὸν, ἢ ταῦτα. 118. 20. Non. Hac. 120. 1. appellarent. appellauerit. 121. 5. laus. locus. 122. 5. probat. probas. 132. 11. optari. aptari. 16. ſiue. ſine. 18. congerentes. congruenter. 24. probata. prolata. 133. 1. qaid. quid. 28. delectantur. delectamur. 138. 6. maximi. maxime. 139. 3. procurationib. prouocationib. 142. 19. primus. primos. 146. 27. appareat. appareãt. 157. 13. Reſpondere. Deſpondere. 158. 21. ro ea. pro ea. 24. abij. abijt. 159. 22. ex. &. 168. 3. Eritiæ. Critiæ. 170. 11. eadẽ. eodem. 19. eadem. eodẽ. 171. 3. manes. munus. 13. lib. 6. lib. 7. 175. 25. inueſtigatores fragmẽtum. fragmentorum. 176. 27. dolentem. delentem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE